JOSEPHI JACOBI PLENCK,

Chirurgiæ Doctoris, nec non Chirurgiæ, Anatomes atque Artis Obstetriciæ Professoris Regii, publici ac ordinarii in Regia Universitate Budensi.

DOCTRINA
DE
MORBIS CUTANEIS

QUA HI MORBI IN SUAS CLASSES, GENERA ET SPECIES REDIGUNTUR.



Editio secunda, aucta.

VIENNÆ,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFER.

1783.

VIRO
PERILLUSTRI, EXPERTISSIMO,
DOCTISSIMO, AC CELEBERRIMO
JOANNI ALEXANDRO
BRAMBILLA
SAC. CÆS. REG. APOST. MAJ.
CHIRURGO PRIMARIO
NEC NON
EXERCITUUM ET PRÆTORIANORUM IMPERIALIUM CHIRURGO SUPREMO
ACADEMIÆ CHIRURGICÆ REGIÆ PARISIENSIS, MONTISPESUL. BONONIENSIS ET MANTINENS. MEMBRO

Hoc qualecunque opuſculum in amicitiæ, obſervantiæque monumentum

DEDICAT ET CONSECRAT

AUTHOR.

PRÆFATIO.

Morborum, qui cutem humanam affligunt, multitudo, atque varietas, caussarum, a quibus ii proveniunt, obſcuritas, & quæ inde naſcitur ſanandi difficultas, diverſitasque, hanc medicinæ, chirurgiæque doctrinam tyronibus difficillimam & vix extricabilem reddidere. Authores demum, quos conſultum adire licet, pauci ſunt, quorum alii hoc, licet omnis ævi frequens morborum genus, nonniſi citiſſimo tetigere calamo; alii vago ac non conſtanti nominum uſu diagnoſim, curandique rationem effecere incertam.

Hæc ſunt, quæ me incitabant, ut hanc vaſtam indigeſtamque horum morborum molem in ſyſtema redigere adlaborarem. Opuſculum hoc, quod in uſum meorum Auditorum concinnaveram, centum & quindecim genera complectitur affectuum cutaneorum; morbos chronicos diligenter deſcripſi, exanthematum autem febrilium ſolam adjeci differentiam & diagnoſim, qua a

ſe & a ſimilibus diſtinguantur; curatio enim exanthematum febrilium in ſola ſanatione febris, a qua profluunt, conſiſtit, quæ ad aliam pathologiæ ſpartam pertinet.

Multum equidem, gratus fateor, celeberrimis viris, qui nuper generica morborum ſyſtemata condidere, SAUVAGESIO, LINNÆO, VOGELIO, MACBRIDIO, CULLENIO, SAGARO, HARTMANNO, LORRYO, DANIELIO debeo, quorum ſyſtematibus ſæpe cum uberrimo fructu uſus ſum, nec tamen ſuperfluam me navaſſe operam opinor, ſi ea attendas, quæ adjeci, correxi, dilucidavi.



CLASSES
MORBORUM CUTANEORUM.

I. Classis. Maculæ, *die Flecke.*
II. ——— Pustulæ, *die Eiterblattern.*
III. ——— Vesiculæ, *die Wasserblattern.*
IV. ——— Bullæ, *die Blasen.*
V. ——— Papulæ, *die Knoten.*
VI. ——— Crustæ, *die Rauden.*
VII. ——— Squammæ, *die Schuppen.*
VIII. ——— Callositates, *die Schwüllen.*
IX. ——— Excrescentiæ cutaneæ, *die Hautgewächse.*
X. ——— Ulcera cutanea, *die Hautgeschwüre.*
XI. ——— Vulnera cutanea, *die Hautwunden.*
XII. ——— Insecta cutanea, *die Hautinsekten.*
XIII. ——— Morbi unguium, *die Nägelkrankheiten.*
XIV. ——— Morbi pilorum, *die Haarkrankheiten.*

GENERA ET SPECIES MORBORUM CUTANEORUM.

CLASSIS I. MACULÆ.

Maculæ fuſcæ.

Lentigo, *die Sommerſproſſe.*
Ephelis, *die Leberflecke.*
Fuſcedo cutis, *die braune Haut.*
Flavedo cutis, *die gelbe Haut.*

Maculæ rubræ.

Gutta roſacea, *der Kupferbandel.*
Stigma, *der rothe Punkt.*
Erythema, *die Hautröthe.*
Morbilli, *die Kindsflecken.*
Scarlatina, *der Scharlachausſchlag.*
Urticaria, *der Brenneſſelausſchlag.*
Maculæ venereæ, *die veneriſche Flecke.*
Eſſeræ, *die flache rothe Flecke.*
Pſydraciæ, *die erhobene rothe Flecke.*
Rubedo cutis, *die rothe Haut.*

Zona ſeu Zoſter, *die Feuergürtel.*

Macula lata Plateri, ſeu Ignis ſacer, *der Feuerflecke.*

Maculæ lividæ.

Ecchymoma, *der blaue Flecke.*

Livor cutis, *die ſchwarzblaue Haut.*

Vibex, *der Streif.*

Maculæ ſcorbuticæ, *die Scharbocksflecke.*

Maculæ gangrænoſæ, *die Brandflecke.*

Petechiæ; *die Petechen.*

Maculæ nigræ.

Melas, *der ſchwarzgefleckte Ausſatz.*

Melaſma, *der ſchwarze Flecke.*

Noma, *der Kinderbrand, oder Todtenwurm.*

Nigredo cutis, *die ſchwarze Haut.*

Maculæ albæ.

Alphos, *der weisgefleckte Ausſatz.*

Albor cutis, *die weiſſe Haut.*

Pallor cutis, *die bleiche Haut.*

Maculæ incerti coloris.

Maculæ maternæ, *die Muttermahle.*

Maculæ artificiales, *die gekünſtelte Flecke.*

Cutis variegata, *die gefleckte Haut.*

Cutis fucata, *die geſchminkte Haut.*

Cutis unctuoſa, *die glänzende Haut.*

CLASSIS II. PUSTULÆ.

Puſtulæ, *die Eiterſinnen.*

Scabies, *die Krätze.*

Variolæ, *die Kindspocken.*

Varicellæ, *die unächten Kindspocken.*

Terminthus, *die Erbſenblattern.*

CLASSIS III. VESICULÆ.

Sudamen, *die Schweisblattern.*

Miliare, *die Friſelblattern.*

Hydatis, *die Waſſerblaſen.*

Veſiculæ criſtallinæ genitalium, *die Cryſtallblattern der Schaamtheilen.*

Uritis, *die Brennblattern.*

CLASSIS IV. BULLÆ.

Phyma, *die Eiterblaſen.*

Bullæ, *die Waſſerblaſen.*

Pemphygus, *der Blaſenausſchlag.*

CLASSIS V. PAPULÆ.

Vari, *die Finnen.*

Grutum, *der Gries.*

Herpes ſeu Serpigo, *die Flechte.*

Cutis anſerina, *die Gänshaut.*

Tuberculum, *der Knote.*

Phygethlon, *die rothe Knoten.*

Lepra, *der Ausſatz.*

Elephantiaſis, *der Elefantenausſatz.*

CLASSIS VI. CRUSTÆ.

Cruſta, *die Raude.*

Eſchara, *der Schorf.*

Achores, *die Kopfraude.*

Cruſta capitis neunatorum, *der Kneis.*

Cruſta lactea, *der Milchgrind.*

Tinea, *der Grind.*

Mentagra, *der Kieferausſatz.*

Malum mortuum, *das todte Uebel.*

Exanthema labiale, *der Lippenausſchlag.*

Exanthema ſubaxillare, *der Achſelhöhlausſchlag.*

CLASSIS VII. SQUAMMÆ.

Furfuratio, *die Hautkleien.*

Deſquammatio, *das Abſchuppen der Haut.*

Exuvia epidermidis, *der Abgang der Oberhaut.*

Porrigo, *der Kleiengrind.*

Lichen, *der Zitterich.*

Impetigo, *der Kleienausſatz.*

Ichthyoſis, *der Fiſchſchuppenausſatz.*

Tyriaſis, *der Schlangenausſatz.*

Aſperitas cutis, *die Rauhigkeit der Haut.*

Rugoſitas cutis, *die Runzeln der Haut.*

CLASSIS VIII. CALLOSITATES.

Callus, *die Schwülle.*
Cicatrix, *die Maſer.*
Clavus, *das Hüneraug.*

CLASSIS IX. EXCRESCENTIÆ CUTANEÆ.

Verruca, *die Warze.*
Cornua, *die Hauthörner.*
Hyſtriciſmus, *der Stachelausſatz.*
Condyloma, *die Feigwarze.*
Frambæſia, *der Schwammformige Ausſatz.*

CLASSIS X. ULCERA CUTANEA.

Excoriatio purulenta, *die Hautſchwürung.*
Intertrigo, *der Frat.*
Aphthæ, *die Mundſchwämchen.*
Fiſſuræ, *das Hautaufſpringen.*
Rhagades, *die Hautſchrunden.*

CLASSIS XI. VULNERA CUTANEA.

Excoriatio cruenta, *die Hautaufſchärfung.*
Sciſſura, *der Schnitt.*
Preſſura, *der Zwicker.*

Morſus, *der Biſs.*

Punctura, *der Stich.*

Ictus ab inſecto, *der Inſekten Stich.*

CLASSIS XII. INSECTA CUTANEA.

Phthiriaſis, *die Lausſucht.*

Helmintiaſis, *die Hautwurmſucht.*

Malis, *die Inſektengeſchwülſte.*

Crinones, *die Miteſſer.*

CLASSIS XIII. MORBI UNGUIUM.

Seline, *der weiſſe Nagelflecke.*

Ecchymoma, *der blaue Nagelflecke.*

Gryphoſis, *die Nagelkrümmung.*

Fiſſura unguium, *der Nagelſpalt.*

Tinea unguium, *der Nagelgrind.*

Mollities unguium, *die Weichheit der Nägel.*

Scabrities unguium, *die Hökerigkeit der Nägel.*

Pterigium unguis, *das Nagelfell.*

Arctura unguis, *der Nagelzwang, das Nagelgeſchwür.*

Deformitas unguis, *die Ungeſtaltheit der Nägel.*

Lapſus unguis, *der Abfall der Nägel,*

CLASSIS XIV. MORBI PILORUM.

Calvities, *der Kahlkopf.*

Hirſuties, *die Haarigkeit.*


Xeraſia, *die Dünhaarigkeit.*

Trichoma, *der Wichtelzopf.*

Fiſſuræ capillorum, *die geſpaltete Haare.*

Canities, *der Graukopf.*





DE
MORBIS CUTANEIS
GENERATIM.

Morbi, qui cutem ejusque partes infeſtant, *cutanei* vocantur.

Hi dividi ſolent

1. in *acutos*, qui cum febre erumpunt, & cum illa evaneſcunt
2. in *chronicos*, qui ſine febre ſunt & utplurimum diu durare aſſueſcunt.

Aſt facilioris intellectus gratia omnes morbos cutaneos in ſequentes, a morbi indole petitas, XIV divido claſſes.

CLASSIS I. MACULÆ.

Sunt locales coloris nativi mutationes in cute.

Sedes materiæ morboſæ intra cutem & epidermidem in reticulo celluloſo epidermidis eſt.

Color macularum eſt varius, ruber, fuſcus, lividus, niger, albus.

Demum hæ maculæ, vel *ſolitariæ*, vel *agminatæ* erumpunt.

Curatio pro materiæ morboſæ diverſitate diverſa eſt. Species macularum ſunt ſequentes.

LENTIGINES.

Sunt maculæ fuſcæ, quæ colore, figura & magnitudine lentes referunt.

Partes ſoli expoſitæ, ut facies, dorſa manuum, rarius antica crurum ſuperficies, his maculis affici ſolent.

Puellas albidas cum ruffis capillis maxime aggreditur lentigo. Æſtate augentur, & hieme decreſcunt hæ maculæ.

Cum autem lentigo in partibus non inſolatis etiam oriatur, & moniales, ſoli non expoſitas, etiam afficiat, atque ulcera in lentiginoſis cacoetha ſæpe evadant, hinc peculiaris cacochymia *cauſa* lentiginis eſſe videtur.

Curatio. Cum ſpecificum cacochymiæ lentiginoſæ remedium adhuc ignoretur, hinc depurantia generalia *interne* adhibeantur. Serum lactis tamarindinatum & juſcula ex chærophyllo & aliis herbis hepaticis, utilia deprehendi.

Externe acetum armoraciæ, * fel taurinum, ** paſta amygdalarum amararum, lac ſulphuris, aqua

* *Cel.* Krüniz *oeconomiſche Encyclopedie* 2. *Vol.* pag. 127.

** *Cel.* Geoffroi in *Mémoires de l'Academ. de Scienc.* adverſus lenticulas ſeu lentigines faciei coſmeticum ex

aqua phagædenica, & ſolutio vitrioli albi laudatur.

EPHELIS.

Eſt macula fuſca, lata, ſolitaria vel agminata.

Species ephelidum ſunt:

1. *Ephelis solaris*, quæ in facie & manu ab inſolatione in teneris puellis obſervatur. *Præcavetur* umbraculis, pileo magno, chirothecis.

Curatur lavatorio ex oxycrato, aqua camphorata, petroſellino in aqua frigida macerato, paſta amygdalarum.

2. *Ephelis ignealis.* Poſt cutis ambuſtionem remanet, etiam in feminarum tibiis & femoribus obſervatur, quæ hyeme foculos pedibus ſupponunt. Etiam a veſicatorio, ſi cuticula aufertur, ſæpe fuſca & lata macula diu remanet.

Curatio a tempore exſpectanda.

3. *Ephelis gravidarum.* Maculæ fuſcæ, ſolitariæ, palmam latæ, frontem præcipue afficientes, in gravidis obſervantur, quas *maculas gravidarum* vocant.

Hæ maculæ poſt partum evaneſcunt.

---

ex felle tauri, oleo tartari per deliquium & aqua, laudat. *Cel.* Hartmannus p. 794. ex bile cosmeticum parat, de quo dicit: *ad miraculum usque albedinem cuti conciliat.*

4. *EPHELIS HEPATICA.* In virginibus difficulter menſtruantibus, & quandoque in viris hæmorrhoide cæca laborantibus, & in aliis, quibus hepar afficitur, obſervantur hæ maculæ, quas etiam *Hepatizon* dicunt.

Curatio exigit, ut fluxus retentus reſtituatur. *Externe* applicantur, quæ in lentigine & ephelide ſolari laudantur.

5. *EPHELIS NEUNATORUM.* Eſt macula lutea, quæ hinc inde in infantibus neunatis obſervatur. *Curatur* ut icterus.

FUSCEDO CUTIS.

Eſt fuſcedo non maculoſa, ſed diffuſa per faciem, manus, vel totum corpus.

SPECIES fuſcedinis ſunt:

1. *FUSCEDO ÆTATIS.* Albedo infantum intra aliquot menſes in ſubluteum vel ſubflavum colorem abit. Viris plerisque, ſenibus autem omnibus cutis fuſca fit.

2. *FUSCEDO SOLARIS.* Solis ardor in ſaturando corporis colore magnam vim habet. Europæis candidis pars frontis pileo tecta, aut pars brachii, veſtibus contenta, a reliqua nuda facie nudaque manu diſtat. Milites multa experti, & peregrinatores, qui calidiſſimas regiones frequentarunt, e terris remotis faciem fuſcam vel atram referunt, quam ſucceſſive in patria iterum amittunt. At feminæ in Aſia, gynæcæis recluſæ, manent albæ.

In climate calidiſſimo fuſci ſunt europæi, & in Europa æthiopes aliquantum albidiores fiunt. *Curatio* fuſcedinis a remediis *coſmeticis* exſpectari, rariſſime obtineri poteſt.

3. *FUSCEDO NATIVA.* Æthiops cum albo homine mulattos flavos gignit, qui etiam prodeunt, ſi mulatti cum mulattis rem habeant. Si vero mulatti cum albo coiverunt, fœtus prodit europæo propior, & poſt quartam generationem homo ab europæo non diverſus. Si vero cum æthiope rem habeant mulatti, æthiopi propior generatur proles, & poſt quartam generationem verus redit æthiops. Demum in multis europæis feminis regio pubis & areolæ mammarum fuſcæ, ſubinde nigricantes ſunt.

FLAVEDO CUTIS.

Eſt cutis flavedo in tota facie vel toto corpore.

1. *FLAVEDO ICTERITIA* ab ictero ſeu bile, in ſanguinem redeunte, pendet. V. *Icterus.*
2. *FLAVEDO A SUGILLATIONE.* Ecchymoſis livida, quamprimum reſolvi incipit, flaveſcit; ſolitarii enim globuli ſanguinis, multo ſero diluti, flaveſcunt.
3. *FLAVEDO NATIVA.* In mediterraneis Æthiopiæ locis flavæ ſunt gentes integræ.

GUTTA ROSACEA.

Eſt corymbus macularum rubrarum in facie & naſo.
SPECIES guttæ roſaceæ ſunt:

1. *Gutta rosacea simplex* eſt rubedo naſi & partium adjacentium absque omni aſperitate, efflorescentia, pruritu & deſquammatione, diu permanens.

Curatur purgantibus.

2. *Gutta rosacea oeno potarum* ſeu *Bacchia.* Format maculas rubras, aliquantum elevatas, & furfuraceas, vini potatoribus eſt familiaris, & naſum eorum tuberoſum reddit. Quandoque brachia, collum & pectus occupat.

Curatio eſt difficillima, et exigit abſtinentiam a vino. Abſorbentia, herbæ alcaleſcentes, aqua ſelterana, juſcula millepedum, viperarum, cancrorum, teſtudinum, ſucci antiſcorbutici, præſertim fumariæ, cum purgantibus adhibeantur. *Externe* aqua vegetomineralis cum felle taurino: petroſellinum maceratum, aqua phagædenica tentari poteſt. Sed cave ne acrimonia repellatur.

3. *Gutta rosacea hydropotarum.* Plures curavi ſuadendo, ut vinum bibere incipiant.

4. *Gutta rosacea febrilis.* Si in febribus malignis naſus purpureus, bruneus, nigricans, tumidus, puſtuloſus evadit, mors inſtar, ex 20 vix 2 evadunt. *

* De Meyserey *T.* 2. *n.* 241.

5. *GUTTA ROSACEA PERNIONALIS.* Rubor chronicus naſi a gelu.

Curatur unguento ad perniones.

6. *GUTTA ROSACEA HERPETICA.* Eſt pruriens, veſiculoſa & furfuraſcens.

Curatur ut *herpes.*

7. *GUTTA ROSACEA SYPHILITICA* ſigna luis venereæ habet. Vide *maculas venereas.*

8. *GUTTA ROSACEA LACTENTIUM.* In lactentibus maculæ rubræ circa genas & labia oriuntur, in cujus centro foramen fuſcum & ſiccum apparet. Hæ maculæ diu permanent, aliquando in cruſtam lacteam abeunt, at non ſemper.

Curatio exigit decoctum violæ tricoloris. V. *Cruſta lactea.*

9. *GUTTA ROSACEA VARIOLOSA.* Maculæ rubræ in genis poſt variolas toleratas ſæpe per medium annum remanent.

Evaneſcunt ſuaſponte. Sed citius, ſi oleum been cuti illinatur. *

STIGMA.

Eſt punctum coloris coccinei, in facie vel alia parte.

SPECIES ſunt:

1. *STIGMATA NATIVA* incurabilia ſunt.

---

* *Cel.* BRUCKMANN *diſſ. de nuce Been. Helmſt.* 1750. p. 27. memorabilia hujus rei exempla recenſet.

2. *STIGMATA RUBRA*, quæ ſubinde ſubito in facie a violenta *tuſſi* vel *vomitu* oriuntur, ſuaſponte evaneſcunt, ſic etiam a *ſcorbuto*, a ſuppreſſis *menſtruis*, talia rubra ſtigmata in toto corpore vel in una ſolummodo parte obſervantur.

Curatio exigit ut morbus, cujus hæc ſtigmata ſymptoma ſunt, curetur.

3. *STIGMATA NIGRA* a pulvere pyrio in faciem exploſo, exigunt, ut granula pulveris dentiſcalpio eximantur.

ERYTHEMA.

Eſt cutis macula rubra, ſolitaria, apyreta & topica, non ut eryſipelas per totam partem diffuſa.

SPECIES ſunt:

1. *ERYTHEMA AB IGNE*. Macula rubra, igne inducta, optime curatur, ſi ardor aqua frigida ſopiatur, & dein aqua alba vel unguentum plumbatum applicetur.

2. *ERYTHEMA A GELU*. Eſt rubor cum levi tumore glabro & ſplendente, ad mutationem aeris hyeme pruriens. Naſum, digitos manuum & pedum atque calcaneos afficit. Frigus extrahitur nive vel aqua frigida, rubor curatur unguento ad perniones.

3. *ERYTHEMA AB ATTRITU*. Rubedo clunium in equitantibus, rubedo manuum in operariis & pedum in peditibus huc pertinet.

Curatur applicato ſevo recenti, butyro cacao aut unguento plumbato.

4. *Erythema a decubitu.* In regione coccygis, & oſſis ſacri vel Ilii ægrorum, diu decumbentium, obſervatur. *Curatio* exigit corium molle & pulvinaria excavata, quibus lumbi & femora ſuſtineantur, ne coccyx a lecto prematur; rubor loci Aqua Thediana,* unguento plumbato vel linimento ex albumine & ſpiritu vini tegatur. Idem fiat, ſi ſub ſanatione fracturæ cruris a decubitu erythema in *calcaneo* pedis oriatur.

5. *Erythema ab ictu insecti.* Præſentiſſimum remedium eſt applicatio aquæ frigidæ vel petroſellini in aqua macerati.

6. *Erythema ab applicatis acribus,* ut veſicatorio, ſynapiſmo, urtica. *Curatur* butyro non ſalito.

7. *Erythema volaticum genarum* eſt ſubitaneus rubor genarum & faciei, qui brevi iterum evaneſcit. Obſervatur in verminoſis, hyſtericis, in verecundia & inſtante menſtruatione, nec non in lactentibus, ab ira nutricis.

8. *Erythema febrile.* Erythema naſi nigricans & puſtuloſum in febribus malignis mortis inſtantis ſignum eſt. Vide *Necroſis.*

---

* *Cel.* Theden *Bemerkungen.* 2. *Theil.* p. 253.

Erythema circa nares in febribus non malignis diarrhæam præſagit.

9. *Erythema ab intertrigine.* V. *intertrigo.*

10. *Erythema complicatum cum alio morbo.* Eſt rubor, qui tumoribus ſcirrhoſis, œdematoſis, vulneribus, ulceribus antiquis, fracturisque ſupervenit.

Curatur aqua vegetominerali. Erythema ab incipiente *ſpina ventoſa* ſubinde unguento neapolitano diſcutitur.

MORBILLI.

Sunt exanthema febrile, quod maculas parum elevatas, rubras, uniformes, in tenuiſſimam furfurationem abeuntes, format, atque ſymptomatum catarrhoſorum præludium habet.

Erumpentes morbilli ſtigmata rubra, elevata, pulicum morſus æmulantia, exhibent.

De miaſmate morbilloſo & de *curatione* morbillorum vide *Authores* qui *febrem morbilloſam* deſcribunt.

SCARLATINÆ.

Sunt exanthema febrile, quod maculas multo latiores quam morbilli, ruberrimas, irregularis formæ, prurientes, in deſquammationem abeuntes, ſine præludio catarrhali format.

V. *Authores*, qui de *febre ſcarlatina* ſcripſerunt.

URTICARIÆ.

Sunt exanthema febrile quod cum leviſſima febre erumpit atque maculas parum elevatas, rubras, valde prurientes, & ardentes, cum minimis punctis elevatis, qualia a foliis urticæ excitari ſolent, format.

Illud ſingulare habent maculæ *urticatæ*, quod in frigido magis emergant, & in calido evaneſcant.

De *curatione* vide Authores, qui *febrem urticatam* deſcribunt.

MACULÆ VENEREÆ.

Sunt maculæ, quæ a *viru venereo* proveniunt.

Sunt maculæ duræ, circulares, rubræ, parum elevatæ cum margine calloſo, albido, quæ in lue confirmata in fronte, circa tempora & in thorace effloreſcunt.

Circa frontem formant ſic dictam *coronam veneream*.

Curantur interno uſu mercurialium & antivenereorum. *Externe* aqua phagædenica aut ſolutione ſublimati lavari debent.

ESSERÆ.

Sunt maculæ coloris rubri, ſed latæ, diſcretæ, ſplendentes, glabræ, ardentes, ac prurientes, planæ, *non elevatæ* ut maculæ urticatæ, in manibus & facie utplurimnm *ſine febre* erumpentes.

Subinde in calore lætiſſime effloreſcunt, & in frigore ſe ſubducunt, ſubinde, quod mirum eſt, recte contrarium obvenit.

Curatio exigit lenia purgantia, dein diaphoretica & diluentia dentur.

PSYDRACIÆ.

Sunt maculæ rubræ in latam ac ſuperficialem veſicam quaſi elevatæ.

Species ſunt:

1. *Psydraciæ spontaneæ*, quæ etiam *Porcellana* dicuntur, ſunt maculæ coloris roſei, ſolitariæ, pollicaris diametri, in pectore & brachiis, aliisve partibus tectis ſubito erumpentes & recedentes.

   Curatio exigit purgans antiphlogiſticum. Evaneſcunt ſine ſuppuratione aut deſquammatione, ſola reſolutione.

2. *Psydracia urticata.* Urtica urens, cactus, phaſeolus pruriginoſus & aliæ plantæ, hanc pſydraciam excitant, ſi manu tangantur.

   Ceſpites vivi applicati cito curant.

3. *Psydracia a punctura insectorum*, a veſpa, culice & aliis inſectis tales pſydraciæ oriuntur, quæ aquæ frigidæ applicatione optime curantur. V. *Ictus ab inſecto.*

RUBEDO CUTIS.

Eſt rubedo non maculoſa ſed diffuſa per totum corpus vel faciem totam, aliamve partem.

1. *Rubedo a verecundia.* Vaſa cutanea genarum a pudore dilatantur, ut in inflammatione.

2. *Rubedo a gelu.* A frigore facies manusque ruberrimæ evadunt, ſunt qui hanc rubedinem ſæpe per totum tempus vernale non amittunt. *Curatur* unguento ad perniones.

3. *Rubedo a vernice.* Sinenſes, qui vernicem ex arbore *Rhus* extrahunt, intra 24 horas univerſali rubore inficiuntur.

Curatur hic morbus ut univerſalis inflammatio.

4. *Rubedo a venenis.* Eſus baccarum *atropæ* & *ſquali caniculæ* intenſam rubedinem per totum corpus diffuſam excitat.

Curatur emetico, dein oxymel vel acetum detur.

5. *Rubedo a plethora*, ſi homines plethorici exercitio vel calore vel ſpirituoſis nimium ſe commovent, in facie & toto fere corcorpore rubent.

Curantur venæſectione, & antiphlogiſticis.

6. *Rubedo nativa.* In India incolæ inſularum Philippinarum ſunt atrorubri, & Patagones colorem cupri nativum habent. Etiam in noſtris regionibus neunati infantes ſaturate rubent, at paulatim expalleſcunt.

ZONA SEU ZOSTER.

Sunt veſiculæ piſiformes, diſcretæ, atrorubræ, non raro confluentes, intenſe prurientes & dolorificæ, quæ inſtar *zonæ* ſeu *cinguli* ad manus lati-

tudinem pectus vel aliam partem circumdant. * Cutis simul late rubet, vesiculæ serum purulentum continent & apices vesicularum cito gangrænescunt. Sub umbilico & in regione ischiadica usque ad genua hunc morbum vidi.

Peculiaris acrimonia biliosa subesse videtur. Post magnam iram & large desuper potatam cerevisiam his hunc morbum vidi.

Curatur interne dato sale amaro, & externis fomentis siccis. Pinguia & humida, ut vidi, admodum nocent.

ZONA HERPETICA est herpes, quæ cinguli adinstar genua aut collum circumdat. V. *Herpes.*

MACULA LATA PLATERI.

Est macula rubra e pluribus maculis confluentibus constans, cujus ardor tantum est, ut ægri vivam flammam corpus lambere credant. ** Fere semper pustulis in suppurationem abeuntibus stipatur, & fere nunquam sine prægressa febre calida.

Loca, quæ ignis sacer maxime infestat, sunt potissimum alterutrum latus abdominis vel thoracis, rarius in facie vel collo vel alia parte observatur.

---

* Aliis hic morbus *zoster*, vel *ignis sancti Antonii* vel *erysipelas pustulosum* vocatur.

** *Ignis sacer*, *Ignis Sancti Antonii*, *Hieropyr* ideo etiam ab aliis authoribus hæc erysipelatis peculiaris species dicitur. Vide *D.* SPERLICH *dissert. de igne sacro, Budæ* 1780.

Ab eryſipelate vulgari & bulloſo differt ſuo ingenti ardore, & puſtulis ſuppurantibus, non ut in bulloſo, effuſo ſero exſiccantibus vel in cruſtas abeuntibus.

Morbus hicce quandoque epidemicus fuit.

Curatio exigit purgantia, ac dein ſudorifera antibilioſa vel antiſeptica pro ut indoles febris comitis eſt.

Externe fomentum ſiccum applicetur.

ECCHYMOMA.

Eſt macula livida, plana vel tumida, ſucceſſu temporis flaveſcens, & evaneſcens, a contuſione nata.

Species ſunt:

1. *ECCHYMOMA VIOLENTUM*, quod ex prægreſſa contuſione, oritur.

   Curatur venæſectione & oxycrato ſpirituoſo, aqua Thediana aut fomento reſolvente.

2. *ECCHYMOMA A VENÆSECTIONE.* Altero vel tertio die poſt venæſectionem ſæpe tota interna antibrachii ſuperficies latiſſima macula livida ſuffuſa invenitur.

   Curatur ut prior ſpecies.

3. *ECCHYMOMA A DECUBITU*, quod in cadaveribus & in ægrotis diu decumbentibus in dorſo & clunibus ſæpe obſervatur.

4. *ECCHYMOMA SPONTANEUM*, quod ſine contuſione aut ſcorbuto naſcitur. Feminis quibus catamenia ſuppreſſa ſunt, ſæpe ſupervenit.

Curatio eſt in omnibus ut in ecchymomate violento.

LIVOR CUTIS.

Eſt livor non maculoſus ſed totam partem occupans.

1. *LIVOR A STRANGULATIONE.* Facies nigro livore ſugillatur in ſupenſis fune, in ſuffocatis, & in neunatis, quibus collum funiculo umbiliculi contortum fuit.

   Curatur ut ecchymoma violentum; in infantibus e funiculo umbilicali emittatur ſanguis.

2. *LIVOR FEBRILIS.* In paroxysmo frigoris febrilis & etiam a frigore aeris tempore hyemali digiti & ungues livent. Hicce autem livor ſua ſponte evaneſcit.

VIBICES.

Sunt ſtriæ longæ, lividæ vel coccineæ, quales a flagellis relinquuntur.

Species vibicum ſunt:

1. *VIBEX A FLAGELLO*, curatur ut ecchymoma violentum.
2. *VIBEX SCORBUTICA*, vide *maculas ſcorbuticas.*
3. *VIBEX FEBRILIS*, in febribus putridis obſervantur tales ſtriæ, *curantur* ut petechiæ.
4. *VIBEX A PANARITIO.* Bis vidi ſtriam rubram a digito inflammato in antibrachium usque pergentem, quæ inciſo tumore evanuit.

MACULÆ SCORBUTICÆ.

Sunt maculæ lividæ, quæ a *ſcorbuto* proveniunt.

In cruribus ſcorbuticorum non ſolum maculæ *palmares* lividæ aut rubentes, ſed etiam *parvæ* ut petechiæ, & *longæ* ut vibices obſervantur.

Noſcuntur ex reliquis ſignis ſcorbuti & *curantur* antiſcorbuticis.

MACULÆ GANGRÆNOSÆ.

Sunt maculæ, quæ a *gangræna incipiente* oriuntur.

Hæ maculæ ſunt lividæ vel nigræ, inſenſiles, in gangræna *humida* molles, in gangræna *ſicca* duræ ſunt. In febribus malignis & putridis ſæpe tales maculæ cum lethali omine obſervantur.

Curatio exigit antiſeptica. Vide *Doctrinam de gangræna.*

PETECHIÆ.

Sunt exanthema febrile, quod maculas, pulicum morſibus magnitudine & colore ſimiles, format.

Differunt a veris pulicum morſibus, quod careant ſtigmate aculei, a pulice infixi, & quod diutius durent : pulicum enim morſus ultra 24 horas non perſiſtunt.

Petechiæ febriles a *ſcorbuticis petechiis* differunt, quod priores febrem putridam comitem habeant. Sic etiam

Color petechiarum eſt varius. *Rubræ* petechiæ boni moris plerumque eſſe ſolent, *purpureæ, lividæ*

& *nigræ* pejoris ominis ſunt. Rariſſimæ obſervantur petechiæ ultra cutis libellam *proſtantes.*

Ex transſudatione ſanguinis putridi ex cute ſub epidermidem fieri videntur.

De *curatione* petechiarum vide authores, qui de *febre petechiali* tractant.

MELAS.

Eſt morbus, in quo maculæ nigræ, vel fuſcæ, cutem deprimentes, ſine dolore & pruritu obſervantur Subinde profunde ad oſſa usque ſerpit nigredo. *

Eſt morbus Arabiæ endemius, hinc *peculiare miasma* cauſam proximam hujus morbi conſtituere videtur.

Curatur, præmiſſis purgantibus, antiſcorbuticis, ſero lactis cum epithymo vel fumaria & veronica, jure viperino, cicuta, antimonio, mercurio, ſpiritu cochleariæ. *Externe*, ſynapiſmi, veſicatoria, balnea ſulphurea vel ſalina, helleborus albus, adhiberi debent.

MELASMA.

Eſt macula livido-atra, quæ tibias potiſſimum ſenum absque evidenti cauſa, & absque ſcorbuto infeſtat.

Eſt morbus diuturnus, qui ſæpe in ulcera mali moris degenerat, hinc a nomate differt.

Curatio exigit antiſeptica interna & externa.

---

* *Vocatur hic morbus etiam* vitiligo nigra *vel* morphæa nigra *ſeu* lepra maculoſa nigra.

NOMA.

Eſt macula rubra vel liveſcens, quæ infantibus vel in gena vel in vulva apud puellas oritur, & intra aliquot dies in ſphacelum abit.

Morbus apud infantes quinquennes, potiſſimum in orphanotrophiis, obſervatur. Hæc macula, acu pertuſa, non dolet, ſine febre oritur, ac ſine dolore, tumore, & calore in ſphacelum buccæ vel vulvæ abit, qui ſua ſponte ſine ulla ſanguinis effuſione partes vicinas & ipſa oſſa cum ingenti fœtore erodit, & intra paucos dies, pulſu, fame atque cæteris functionibus vix mutatis, mortem cauſat.

Idem malum ſubinde ſcorbuticis ſupervenit, ſed incipit cum ulcere albo & exiguo in interna ſuperficie genæ. V. *cancer aquaticus.*

Curatio Nomæ exigit, ut ſpiritus mercurialis ſaturatus mediante plumaceolo maculæ gangrænoſæ applicetur. *Interne* camphora, cortex, ſpiritus vitrioli & alia antiſeptica dentur.

NIGREDO CUTIS.

Eſt cutis nigredo non maculoſa, ſed per faciem, vel aliam partem vel totam corporis ſuperficiem diffuſa.

Cutis *nigra* redditur, ſi humor niger deponitur in cellulas epidermidis. *

* HERMANN *Diſſert. de vera natura cuticulæ.*

SPECIES sunt:

1. *NIGREDO NATIVA*, quæ in æthiopibus nigris observatur a depositione muci nigri malpighiani. Aliquando etiam in europæis regio pubis & areolæ papillarum in mammis nigrescunt.
2. *NIGREDO SCORBUTICA.* Vidi in scorbutico milite totum crus sinistrum adeo nigrum, ut æthiopis esse crus credidisses; curabatur aqua vegetominerali cum spiritu vini camphorato saturata.
3. *NIGREDO MENSTRUALIS.* A suppressis menstruis manus nigras & lividas vidit CEL. SAGAR. *Curatur* ut ecchymoma.
4. *NIGREDO NECROTIA*, qua partes, necrosi affectæ, conspiciuntur. V. *Necrosis* & *gangræna.*
5. *NIGREDO SORDIDA.* Aliquando in morbis acutis prospicit cutis, ac si sordes nigrescentes exterius ei insiderent & eam leviter quasi conspurcarent, nullo modo autem hæ nigræ sordes se ablui patiuntur.
6. *NIGREDO AB ICTERO NIGRO.* V. apud Authores *icterus niger.*

ALPHOS.

Est lepræ species, in qua maculæ albæ cutem deprimentes nascuntur. *

---

* Dicitur etiam *vitiligo alba*, seu *morphæa alba*, vel *lepra maculosa alba.* V. *Cl. Profess.* VOGEL Dissert. de *vitiligine.*

Duplex datur alphi ſpecies:

1. *ALPHUS SIMPEX*, in quo pili cutanei colore non mutantur, ſed maculæ ſerpunt de parte in partem, & cutem exaſperant.

2. *ALPHUS LEUCE*, in quo maculæ albidiores ſunt, profunde cutem penetrant, pili cutanei albi evadunt, & ſi locus affectus fricetur, non rubet, ſi pungatur, aqua lactea effluit.

CAUSAM alphi peculiare miaſma, quod Arabiæ endemium eſt, conſtituit.

Curatio. Leuce vix amplius curatur. In alpho tentari debent eadem medicamenta, quæ in melas & lepra laudantur.

ALBOR CUTIS.

Eſt albor per faciem vel totum corpus diffuſus.

1. *ALBOR NATIVUS.* In *Africa occidentali*, homines inveniuntur albi. Vocantur *æthiopes albi* ſeu *lactei*, oculi iridem habent roſeam, impatientes ſunt lucis, debiles & teneri homines, ex æthiopibus nigris, & ex indis rubris naſcuntur. *

PALLOR CUTIS.

Eſt cutis præſertim in facie pallor.

---

* V. *Cl. Profeſſ.* BLUMENBACH *de generis humani varietate nativa.* & *Illuſt.* HALLERI *elementa phyſiologiæ* T. V. p. 24.

1. *PALLOR PATHEMATICUS.* Terror arterias cutaneas conſtringendo pallorem faciei & totius corporis cauſat.

2. *PALLOR CHLOROTICUS*, qui ſimul & vireſcens eſt, a chlorotica ſeu pituitoſa cachexia pendet. V. *Chloroſis* apud Authores.

3. *PALLOR A DEFECTU SANGUINIS*, qui hæmorrhagias magnas & omnes copioſas evacuationes humorum ſequitur. *Curatur* cardiacis nutrientibus.

4. *PALLOR MORBOSUS*, qui omnes morbos non febriles comitatur.

MACULÆ MATERNÆ.

Sunt maculæ congenitæ ſeu nobiſcum natæ. Vocantur etiam *Nævi materni.*

Nævi generatim in *maculas* & *excreſcentias* dividi poſſunt.

CAUSAM EXCITANTEM credunt eſſe vehementem matris gravidæ vel cupiditatem vel averſationem. α)

Multæ dantur nævorum varietates reſpectu coloris, figuræ & indolis; frequentiſſimæ *ſpecies* ſunt:

α) Obſtetricavi illuſtrem mulierem, cui mus vivus ex arca, quam ſubito aperiebat, in mammam inſiliit, hæc præ terrore animo fere delinguebat atque a tertio graviditatis menſe cum tota familia vehementer nævum murinum in infante timuit; prædixi nil timendum eſſe & præter omnium opinionem, pulchram, omnique nævo carentem enixa eſt puellam.

1. *NÆVUS LENTICULARIS.* Eſt macula fuſca vel nigra, lentis magnitudine: una vel plures tales maculæ præprimis in facie obſervantur. *

2. *NÆVUS FLAMMEUS*, qui latam maculam, ſtriatam, quæ vini rubri in faciem quaſi effuſi colorem habet, refert. **

3. *NÆVUS TUBERCULOSUS*, eſt macula plus, minus elevata, tuberculis parvis, & non raro ubique pilis obſita. ***

4. *NÆVUS CAVERNOSUS.* Eſt excreſcentia cutanea rubri vel lividi coloris, quæ ex tela celluloſa in ſubſtantiam cavernoſam mutata, conſtat, & ſanginem vel ſuccum gelatinoſum in cavernulis ſuis continet. *α)*

---

* In mamma cujusdam puellæ maculam nigram, ut æthiopis eſt color, aurei magnitudinem ſuperantem, vidi.

** Dicitur etiam *morphæa flammea*, germanice *Feuermahl.*

*** Nævis piloſis *muris* vel *erucæ* nomen imponunt.

α) Obſtetrices & vetulæ his nævis nomen dant rei, cujus ſimilitudinem præ ſe ferre opinantur. Sic infantes referunt natos, qui *criſtam*, *ficum*, *morum*, *rubum idæum*, *farcimen*, & neſcio quid ſecum tulerint. Hi nævi, cum frigore hiemali contrahantur, & calore vernali dilatentur ob humores rarefactione expanſos, hinc opinio confirmatur, nævos, qui fructus referunt, tempore floreſcentiæ ejusdem fructus, etiam florere.

5. *NÆVUS MALIGNUS.* Profundas agit radices, & vaſa tumida talis nævi tumorem cancróſæ indolis repræſentant, atque cauſticis multum irritatus in verum cancrum exulceratur.

Curatio nævorum. Partes nævo vicinæ emplaſtro adhæſivo, in quo foramen ad nævi magnitudinem exſciſſum eſt, defendantur, nævo autem ipſi unguentum, ex anatica portione calcis vivæ & ſaponis veneti confectum, applicetur. Sic intra duodecim horas nævus in eſcheram mutatur, quæ ſuccedente ſuppuratione tandem ſecedit. Nævi tuberculoſi facilius, quam maculoſi ſic ſanantur.

Nævi autem magni, quæ vera *ſarcomata* ſunt, etiam ut illa vel ligatura, vel exſciſſione auferri debent.

MACULÆ ARTIFICIALES.

Sunt maculæ, quæ cuti pigmento aliquo inuruntur. Qui morbos fingere volunt, hac arte utuntur. Sic macula *rubra* ſolutione auri, macula *flava* hepate antimonii, vel ſpiritu nitri, macula *nigra* lapide infernali, cuti inuri poteſt, quæ per aliquod ſeptimanas manet, niſi ſolutione alcalina abluatur.

Colores autem *fuco* inductæ ablutione aquoſa noſcuntur.

CUTIS VARIEGATA.

Eſt cutis maculis varii coloris deturpata.

1. *Cutis variegata nativa.* In tartarorum gente tigridis inſtar maculati reperiuntur homines. *

2. *Cutis variegata morbosa.* Viſa eſt ad ſemel in uno ſubjecto facies viridis, latus corporis dextrum nigrum, & ſiniſtrum flavum.

3. *Cutis variegata a sugillatione*, quæ cum ſolvi incipit, pars maculis flavis, & lividis maculata & ſtriata apparet.

CUTIS FUCATA.

Cutis nitida, albitudo cum roſea genarum rubedine, & venis circa tempora cæruleſcentibus, pulchritudinis exhibet apud Europæos colorem naturalem.

Fœminæ vanæ, ſuſpectæve virtutis, quas natura pulchritudinis colore non decoravit, variis pigmentis hunc ſibi inducere tentant.

Fucum *album* ſibi inducunt magiſterio bismuthi, vel mercurio præcipitato albo, ceruſſa plumbi, aut remediis coſmeticis. **

---

* Blumenbach *de generis humani varietate nativa.*

** *Coſmetica* vocantur remedia, quæ cuti alborem & nitorem ſine fuco ſeu coloratione inducunt. Hæc virtus quibusdam medicamentis ineſſe videtur. Dilutiſſima ſolutio aquoſa ſublimati corroſivi, bilis, aqua coſmetica Hombergi, aqua coſmetica Hartmanni, aqua deſtillata radicis ari &c. huc pertinent. Fumum ſulphuris pro dealbandis manibus adhibent.

Fucum *rubrum* præbet carminum. Fucum *cæruleum*, quo venas temporum ſibi pingunt, exhibet ſuccus helliotropii.

Fucum *nigrum*, quo ſibi capillos & ſupercilia nigro colore imbuunt, faciunt ſolutione lapidis infernalis.

Sed omnes hi fuci, præſertim ſaturnini & mercuriales, ſanitati nocent, & cutem longo uſu maculatam relinquunt.

CUTIS UNCTUOSA.

Eſt cutis ſplendor unctuoſus, ac ſi eſſet butyro illita.

Causa proxima eſt pororum glandularium, vel qui ad tunicam adipoſam pergunt, laxa amplitudo, quæ oleum ſubcutaneum transſudare ſinit.

1. *Unctuositas vulgaris*, curatur roborantibus internis, & externa applicatione aquæ frigidæ & liquoris adſtringentis.
2. *Unctuositas elephantina*, quæ in elephantiaſi obſervatur, eſt incurabilis, ut elephantiaſis.

CLASSIS II. PUSTULÆ.

Sunt tumores exigui, rubri vel flavi, quorum apex in pus vel cruſtam purulentam abit.

Sedes materiæ morboſæ vel in glandulis cutaneis, vel in cellulis ſub epidermide eſſe videtur.

Species puſtularum ſunt:

PUSTULÆ SOLITARIÆ.

Sunt puſtulæ exiguæ, quæ tempore æſtivo ſolitariæ hinc inde in facie, vel in pectore juvenibus fervidis & puellis erumpunt. Utplurimum ſuaſponte ſuppurantur, exſiccantur & evaneſcunt.

Curatio, ſi eruptio valida eſt, exigit purgantia antiphlogiſtica, venæſectionem, & *externe* aqua vegetominerali, vel ſalita, vel petroſellino in frigida aqua macerato, abluatur facies.

SCABIES.

Puſtulas format exiguas, admodum prurientes, quæ ſcalpendo ruptæ pus effundunt, cruſtuoſæ fiunt; & manus potiſſimum infeſtant.

Sedes. Incipiunt hæ puſtulæ forma veſicularum rubrarum in digitorum interſtitiis, dein manus, genua & cubitos maximam partem afficiunt, inde per totum corpus, ſola facie excepta, diſperguntur.

Causa proxima ſcabiei peculiare miaſma eſſe videtur, quod glandulas cutaneas occupare amat.

Contagium scabiosum vel applicatur corpori, vel in eo naſcitur. Hinc primaria ſcabiei diviſio eſt.

1. In *acquiſitam*, quæ contactu vel concubitu ſcabioſi, aut geſtatione chirothecarum, induſiorumve ſcabioſi contrahitur. Hæc in orphanothrophiis, noſocomiis, & caſtris perpetuo præſto eſt, nec non capillamentariis, ſartoribus &

textoribus familiaris obſervatur. Huc etiam *ſcabies inoculata* refertur.

2. In *ſpontaneam*, quæ ſua ſponte ab immunditie, habitatione humida, victu acri, ſalſo, pingui naſcitur. Hæc difficilius quam acquiſita curatur.

3. In *criticam*, quæ ſua ſponte tum acutis, tum chronicis morbis ſupervenit, & illos critice ſolvit. Huc etiam pertinet *ſcabies catamenialis*, quæ omni menſe loco catameniorum erumpit.

Demum ratione indolis ſequentes dantur ſcabiei *ſpecies*:

1. *SCABIES HUMIDA.* Puſtulas rubellas, magnas & purulentas format.

Curatur ut inflammatio cutanea, purgantibus, antiphlogiſticis.

2. *SCABIES SICCA*, quæ etiam *canina* dicitur, veſiculas minores & rubicundiores, acuminatas, acri ſero plenas, refert.

3. *SCABIES HERPETICA*, quæ veſiculas, in albos furfures abeuntes, habet. V. *Herpes.*

Curatio ſcabiei exigit:

1. *Purgantia mercurialia* ſæpius repetita.

2. *Antiſcabioſa ſpecifica*, ut extractum enulæ vel fumariæ, conſervam fumariæ, antimonium crudum, flores ſulphuris, decoctum bardanæ. *

---

* *Cel.* JASSER ſequentem pulverem omni veſpere exhibet ℞. flor. ſulph. antimonii crudi, nitri depurati, rad. iridos florentinæ aa gr. vi.

Externe adhibeatur *Balneum* ex aqua fluviatili, *Lotio* totius corporis cum ſolutione ſublimati & ſale ammoniaco, cum ſapone, vel ſpec. emollientibus, cum radice hellebori albi, aut lotio cum enula. *Unguentum* ex ſulphure, vel ex præcipitato albo, vel helleboratum, aut quod efficaciſſimum deprehenſum fuit, *unguentum Jaſſeri ad ſcabiem.**

4. SCABIES PUTRIDA. Incipit cum veſiculis cryſtallinis, admodum ardentibus & prurientibus, quæ ſenſim inflammantur, atque in ulcera, magnam copiam puris plorantia, abeunt, ac demum magnas cruſtas virido-cineritias in toto corpore, nec facie excepta, formant. Inter cruſtas & excoriationes latæ maculæ lividæ & induratæ conſpiciuntur. Circa veſperas febricula & ingentes capitis dolores cum rigiditate omnium articulationem obſervantur. Hæc ſca-

---

* Ex vitrioli albi, florum ſulphuris, baccarum lauri partibus anaticis & oleo lini vel olivarum q. ſ. ad unguentum fluidum. Mane & veſpere nucis avellanæ magnitudo palmis manuum infricatur. Dicit celeberrimus author præmiſſis purgantibus, balneis & pulvere ad ſcabiem intra 4 ſeptimanas inveteratiſſimam ſcabiem ſine omni ſubſequo malo in aliquot centum militibus fuiſſe ſanatam. Vide *Cel.* SCHMUCKER *vermiſchte chir. Schriften* 3. *B. p.* 169.

bies febres putridas ſequitur, atque militibus in ultimo bello valde infeſta fuit. *

Curatur hæc ſcabies 1. *purgantibus* eccoproticis omni octiduo datis. 2. *Balneis* ex aqua, lacte & ſapone. 3. *Oleo vitrioli* diluto & interne dato. Guttæ aliquot hujus olei in decocto chamomillarum dari poſſunt. 4. Ulcera & cruſtæ ſcabioſæ unguento albo camphorato emolliuntur.

5. *SCABIES TOPICA*, quæ in manu, vel alia tantum parte erumpit. Eam optime tollit recens herba *boni henerici*, bis de die impoſita quæ magnetis adinſtar omnem acrimoniam ſcabioſam ex ſanguine extrahit.

6. *SCABIES VENEREA*, quæ in fronte & aliis locis papulas duras, in apice ſuppurantes cum maculis venereis format, curatur mercurialibus ut lues venerea. V. *maculæ venereæ.*

7. *SCABIES VERMINOSA*, ** eſt ſcabies, in qua vermiculi ſeu acari reperiuntur.

---

* Hanc ſcabiei ſpeciem optime deſcripſit *Celeberrimus* BALDINGER, cui in morborum caſtrenſium doctrina multum debemus, V. Viri hujus doctiſſimi librum *von den Krankheiten einer Armee.*

** In ſcabie vermes fuiſſe repertos, nemo, qui LINNÆUM hujus rei teſtem eſſe novit, in dubium vocabit, dicit *Illuſtr.* MURRAY in ſuo egregio opere de *vermibus in lepra obviis.* Sed hi vermiculi cauſa ſcabiei eſſe non videntur, ſed ſolummodo morbus ſuperveniens. Probabile videtur, quod, antequam ſcabies in cute erum-

8. *SCABIES RETROGRESSA.* A ſcabie imprudenter retropulſa, vel frigore, vel adſtringentibus repercuſſa, multi ac ſæpe admodum refractarii oriuntur morbi, ut pertinax capitis dolor, vertigo, melancholia, mania, epilepſia, inſultus apoplectici, paralyſes, ſurditas, amauroſis, catarracta, fiſtula lachrymalis, & alii oculorum affectus, aſthma, palpitatio cordis, anxietas, ventriculi & inteſtinorum dolores, obſtructiones viſcerum, hydrops, atrophia, rhachitis, œdemata membrorum, convulſiones, febres anomalæ, magna ulcera cacoetha, magni abſceſſus ſubaxillares, & aliæ ægritudines.

Curatio ſcabiei retropulſæ exigit revocationem materiæ ſcabioſæ ad cutem, vel ejusdem eliminationem e corpore. *Revocatio* ſæpe obti-

---

pat, corruptela quædam humorum ſemper præcedat, quæ ſi ad certum gradum pervenit, acaros in caſeo vel farina latentes (nam ejusdem ſpeciei ſunt) allicit, ut in cute nidum quærant, & roſione ſua & excretis liquidis malum reddant pejus. Obſervamus enim muſcas naturæ inſtinctu eam modo carnem invadere, quæ jam putreſcere incipit. Sic vermes, qui in inteſtinis nidulantur, non alios, quam quibus peculiaris ad eos recipiendos corporis conſtitutio eſt, vexant. Vidit *Illuſtr.* LINNÆUS in lupulo, quod, ſi ille a larvis phalænæ, radices erodentibus, morbidus factus fuerit, alphides accedant, quæ liquido ſuo, quod ejiciunt, lupulum penitus perdunt.

netur *veſicatorio*, *emulſione camphorata*, vel *ſucco betulæ* per menſem quotidie ad libram epoto, *antimonio diaphoretico*, *ſulphure*, *fuligine*, *ſulphure aurato antimonii*, *potu diaphoretico*, *balneis calidis*, & forti *frictione* articulationum.

His non ſuccedentibus fiat *infectio voluntaria*, dum ægrotus communi lecto, veſtibus, induſiis & laquearibus ad detergendas manus ſcabioſi utatur, vel fiat *inoculatio ſcabiei*, quæ ut inoculatio variolarum peragitur; vel *evacuetur* materia morboſa excitato ulcere, quod *ſcarificatione*, *ſetaceo*, *fonticulo*, *inuſtione*, *veſicatorio*, *exutorio* peragitur.

VARIOLÆ.

Sunt exanthema febrile, quod puſtulas purulentas, contagioſas pro illis, qui eas nondum paſſi ſunt, format.

Species variolarum tum ratione indolis, tum figuræ, tum periculi & decurſus valde differunt.

Reſpectu figuræ, quam variolæ exhibent, habentur:

1. *Discretæ*, ſi poſtulæ ſingulæ toto morbi decurſu ab invicem diſtant.
2. *Corymbosæ*, quæ congeriem puſtularum denſiſſimarum, non autem in unam penitus confluentium formant.
3. *Cohærentes*, quæ phalanges puſtularum, confluentium, ſolummodo hinc inde ſiſtunt.

4. *Confluentes*, in hac ſpecie puſtulæ quaſi omnes in toto corpore tempore ſuppurationis in unam confluunt.
5. *Cuspidatæ*, puſtulas acuminatas formant.
6. *Umbilicatæ*, quarum puſtulæ foveolam, ſeu *umbilicum* in ſummitate habent.
7. *Miliares*, quæ puſtulas pure vel lympha plenas, ſed ſemen milii magnitudine æquantes, vel paulo majores referunt.
8. *Siliquosæ*, quæ veſiculas inanes ut ſiliquas ſiſtunt, ob materiem morboſam ex puſtula reabſorptam & interiora petentem.
9. *Bullatæ*, quando variolæ aquoſæ confluunt, faciunt *bullas* magnas ſeu veſicas lympha plenas, magnitudine nucis avellanæ, ſubin majores.

Respectu materiæ in variolis contentæ dantur:

1. *Variolæ purulentæ*, quæ pus continent.
2. *Variolæ lymphaticæ* ſeu *crystallinæ*, quæ veſiculas lympha cryſtallina plenas ſiſtunt, ſiliquoſæ, miliares, vel bullatæ eſſe poſſunt.
3. *Variolæ verrucosæ* papulas duras, cuſpidatas, verrucis ſimiles, & materiem atheromatoſam continentes, exhibent.
4. *Variolæ sanguineæ* ſeu *hæmateodeæ*, puſtulas nigras, ſanguinem continentes & fundentes, cum fundo nigro gangrænoſo ſiſtunt.

5. *VARIOLÆ PETECHIALES*, variolæ quæcunque, si in interstitiis variolarum, vel in ipsis variolis maculæ nigræ apparent, quæ materiem in pustulis contentam rubro colore tingunt, sic appellantur.

RESPECTU PERICULI & DECURSUS habentur:

1. *VARIOLÆ BENIGNÆ*, quæ regulariter decurrunt, nulla mala symptomata habent, & sine periculo sunt, variolæ discretæ, purulentæ, præsertim insitivæ utplurimum sic se habent.

2. *VARIOLÆ MALIGNÆ*, sunt, quæ irregulariter decurrunt, quæ non maculosæ sed papulosæ erumpunt, mala symptomata & vitæ periculum sistunt, ut variolæ confluentes, sanguineæ, petechiales, siliquosæ.

3. *VARIOLÆ REGULARES*, quæ consueta sua stadia regulariter observant.

4. *VARIOLÆ IRREGULARES*, quæ ordinem consuetum decursus non servant.

5. *VARIOLÆ PRÆCURSORES*, aliquando contingit, ut aliquot diebus ante febrem, vel in ipso primo invasionis die, pustula una, vel plures majores in facie, vel collo vel alio loco erumpant, & confestim pus concipiant, ut in duobus meorum infantum vidi. Hæ variolæ faustum morbi eventum præsagiunt.

6. *VARIOLÆ INOCULATORUM*, quandoque inoculatores, & illi, qui variolas infantum

tum multum palpitant, unam alteramve variolam in manu ſibi contrahunt, licet variolas jam ſint paſſi.

7. *VARIOLÆ NATURALES*, quæ infectione naturali.

8. *VARIOLÆ INSITIVÆ*, quæ inſitione miaſmatis varioloſi contrahuntur.

9. *VARIOLÆ VERÆ*, quæ ſemel homines aggrediuntur, & intra 14 dies non finiuntur.

10. *VARIOLÆ SPURIÆ*, quas ſub nomine *varicellarum* ſequenti capitulo deſcribam.

Variolæ veræ, benignæ, regulares *quatuor ſtadia*: 1 ſtadium *contagii*, 2 *Eruptionis*, 3 *Suppurationis*, 4 *Exſiccationis*, ſiſtunt.

1. *STADIUM CONTAGII*, quod cephalalgia, lumbagine, nauſea, vomituritione, convulſione quandoque & febre noſcitur, ab ingreſſu morbi ad 4 diem circiter durat.

2. *STADIUM ERUPTIONIS*. Quarto morbi die primum in facie & manibus, poſthæc in reliquis membris puncta quædam rubra, nunc ſparſim, nunc conferta, vel utroque modo usque ad 6 diem paullatim erumpunt, & febris atque reliqua ſymptomata contagii valde minuuntur, vel penitus remittunt. Sed oris fœtor peculiaris, totum conclave adimplens, oritur.

3. *STADIUM SUPPURATIONIS*. A ſexto die maculæ cutis pus paullatim concipiunt, & in puſtulas lenticularis magnitudinis ſenſim

elevantur. Ab 8 ad 11 diem pustulæ ulterius ad pisi magnitudinem assurgunt, & depressum hactenus verticem dimittunt. Febris rursum aliquantum increscit, facies nonnihil tumet, fauces dolent, oculi inflammantur, & pustulæ suum halonem rubrum amittunt.

4. *STADIUM EXSICCATIONIS.* Jam per reliquos 4 dies pustulæ maturæ & flavescentes partim siccantur, partim rumpuntur, & in crustas abeunt, quæ vel sponte defluunt, vel ab ipsis ægrotis decerpuntur. Maculæ autem subrubræ in locis delapsarum crustarum subinde per medium annum adhuc remanent, in multis cicatrices seu foveolæ in cute, præsertim faciei, relinquuntur.

CAUSA PROXIMA variolarum est peculiare miasma; morbus utplurimum epidemice grassatur, & qui semel eum est expertus, rarissime altera vice illo prehenditur.

Curatio interna variolarum indicatur a febre, quæ illas comitatur. Vide Practicos Authores, qui de *febre variolosa* scripserunt.

Externa variolarum *remedia* sunt hæcce:

1. *Semicupium calidum*, ex aqua & lacte egregie difficilem eruptionem promovet.
2. Palpebrarum coalitus impeditur *lacte calido*, quo oculi frequenter per diem & noctem elui debent.
3. Pustulæ in cornea *aqua saturnina* impediuntur.

4. Ardor faucium *gargarifmate* acido, ut fyrupo ribium, & fpiritu nitri dulci facto, lenitur.

5. Puftulæ maturæ aciculis, vel forficula aperiuntur ad evitandas erofiones cutis & abforptionem puris. Facta incifione lactis cremor applicetur.

6. *Cruftæ aridæ*, quas variolæ confluentes formare folent, lacte calido emolliri, & dein cerato contegi debent.

7. *Maculæ*, poft variolas refiduæ, optime tolluntur oleo been, vel, fi aliquoties de die ope penicilli liquore, qui ex aquæ rofarum unciis octo, & fpiritus vini camphorati uncia dimidia conftat, illinantur.

8. *Facies* a variolis præfervatur pediluviis lacteis, atque finapifmis, quæ remedia a die invafionis ad initium fuppurationis usque adhiberi debent.

Fonticuli, veficatoria nuchæ applicata, fomentationes faciei ex aqua calida vel frigida, aut jure carnis vervecinæ, itemque inunctio ejusdem cum lardo, vel oleo lini, nec non fpirituum applicatio, aut rafura capillorum, & hirudinum applicatio merito ab *Illuftr.* & *Expertiffimo Profeffore* VOGEL damnantur.

9. Neque mercurius vivus aut mofchus in amuleto corpori applicatus fperatum edidit effectum.

10. Optima variolas bonas producendi methodus eſt inoculatio variolarum, ſic ex centenis vix unus moritur, aut multum defædatur.

VARICELLÆ.

Seu *variolæ ſpuriæ* ſunt variolæ, quæ utplurimum ſine notabili febre erumpunt, & intra octiduum jam curſum ſuum abſolvunt.

Differunt a variolis veris, quod febrem vix præcedentem habeant, 2 primo die invaſionis erumpant, 3 a variolis veris ægrotos non præſervent, 4. Sæpius hominem aggrediantur, 5. Intra octiduum vel citius ſuum curſum abſolvant, variolæ enim veræ decurſus 14 diebus indiget, 6. raro cicatrices relinquant, & tunc maxime pro veris imponunt.

Species varicellarum ſunt:

1. *Varicellæ lymphaticæ.* Sunt puſtulæ diſcretæ, veris ſimillimæ, jam primo morbi die formantur, humorem continent tenui muco albicanti ſimilem, tertio die ſiccantur, & ab hoc usque ad ſeptimum decidunt.

2. *Varicellæ verrucosæ* ſive *acuminatæ.* Papulas acuminatas, rubras, verrucis ſimillimas, ſupra cutem prominentes, in quibus nullus humor eſt, referunt, & ſeptimo die evaneſcunt.

3. *Varicellæ duræ ovales.* Tubercula formant dura, ovalia, obſcure rubentia,

halone rubro cincta, verisque variolis paulo majora ſunt. Poſt duos vel tres dies nonnihil exulcerantur, & tandem cum nigrore exareſcunt, denique palleſcunt & ſubſident. Aliquando ſub exſiccatione primo erumpentium iterum novæ erumpunt, & ſic morbus ad aliquot ſeptimanas protrahi videtur.

4. *VARICELLÆ EMPHYSEMATOSÆ*, quæ vacuæ ſunt ut ſiliquoſæ, ſeu aërem continent.

Variolæ ſpuriæ haud raro epidemice graſſantur, veris aliquando ſuccedunt, aliquando præcedunt, rarius contingit, ut inter veras erumpant. Periculi fere ſemper expertes ſunt.

Curatio lenia purgantia & diluentia exigit.

TERMINTHUS.

Puſtulæ nigricantes & ardentes, quæ maxime in cruribus fæminarum obſervantur, *terminthi* vocantur. *

Mox deſinunt in cruſtas, quibus detractis pus emanat.

TERMINTHI NEUNATORUM. Conſtant ex puſtulis majoribus, quæ *lividam aquam* continent, & halonem rubrum habent. Apparent primo ad inguina, inde ad umbilici viciniam, axillas & di-

* Nomen habent a ciceribus ſive *terminthis*, quos figura & magnitudine referunt.

gitos, & poſt tres quatuorve dies exſiccatæ decidunt. *

Subinde epidemice occurrunt, periculo fere carent, niſi maximus eorum ſit numerus.

Curatio exigit lenia laxantia. Veſiculæ diſſecari & dilutiſſima aqua vulneraria elui, & dein ſemine lycopodii conſpergi poſſunt.

CLASSIS III. VESICULÆ SEU PHLYCTENÆ.

Sunt tumores exigui, qui pellucidi ſunt & non pus ut puſtulæ, ſed aquam, vel ſerum ſanioſum continent, atque rupti vel exſiccantur in cruſtas, vel excoriantur.

SUDAMINA.

Sunt veſiculæ granis milii magnitudine & forma ſimiles, ſubito absque febre erumpentes. **

Species ſunt:

1. *Sudamina alba*, quæ ſunt veſiculæ concolores cuti, pungentes, & fugaces, quæ æſtu aeris aut lecti ſæpe excitantur.
2. *Sudamina rubra*, ſunt veſiculæ rubræ granis milii magnitudine ſimiles, quæ juvenes & calidos viros potiſſimum tempore æſtivo aggrediuntur.

---

* Ideo germanis vocantur *Schälblaſen.*

** Græcis vocantur *hydroa* vel *boa.*

3. *SUDAMINA BALNEANTIUM*, ſunt veſiculæ miliaribus ſimiles, quæ in diu balneantibus erumpunt.

Curatio exigit victum refrigerantem. *Balneum* ex aqua fluviatili, quod eruptionem ab initio promovet. *Lotionem* ex aqua camphorata.

MILIARIA.

Sunt exanthema febrile, quod veſiculas granis milii ſimiles format.

Miliaria continent humorem lymphaticum, qui vel excolor eſt, vel rubellus, pellucidus vel opacus, hinc vocantur miliaria *alba*, *rubra*, *pellucida*, *opaca*.

SPECIES miliarium ſunt:

1. *MILIARIA FEBRILIA*, quæ cum febre erumpunt.
2. *MILIARIA LACTEA*, quæ in puerperis, a lacte ſano in cutem depoſito, oriuntur, ſunt alba, & opaca.
3. *MILIARIA CHRONICA*, quæ ſine febre in ſcorbuto & aliis morbis erumpunt. V. *Sudamina*. De *curatione* miliarium vide authores de febre miliari. *

HYDATIS.

Eſt veſicula ſphæroidea, pellucida, indolens, quæ piſi magnitudinem habet.

---

* V. GESNER *Sammlung von Beobachtungen* 3. *Band* *S.* 104.

Magnitudine differt a ſudamine. Sæpius ſolitaria, quam agminata apparet, in tarſis palpebrarum frequentius obſervatur.

Species ſunt:

1. *Hydatis cuticularis* eſt epidermidis elevatio in veſiculam aquoſam ſphæroidem. *Curatur* inciſione veſiculæ & exſiccatione.

2. *Hydatis cellulosa*, eſt telæ celluloſæ degeneratio in veſiculas aquoſas, id obſervatur in quibusdam ulceribus & tumoribus. V. *hygroma hydatitoſum* in doctrina tumorum. *

VESICULÆ CRISTALLINÆ GENITALIUM.

Sunt veſiculæ pellucidæ, aquoſæ & dolentes, quæ in phymoſi & paraphymoſi glandi, vel præputii ſuperficiei internæ inſident.

Hydatidibus ſunt ſimiles ſed dolentes. Senſim rumpuntur & exanitæ corrugantur, aut in ulcera venerea abeunt.

In fæminis autem ex tumidis labiis, nymphis, clitoride ejusque præputio, & ex vagina prodeunt.

Curantur ſolutione ſublimati vel balſamo mercuriali, ſi *interne* ſimul mercurius gummoſus adhibeatur.

---

* *Cel.* Grashuis *tentamen de colica pictonum, cui accedit diſquiſitio de natura & origine hydatidum.*

URITIDES.

Sunt veſiculæ latæ, rubræ, & admodum prurientes, quæ in apice crepant, & ichorem acrem, fundunt.

Utplurimum crura, rarius brachia afficiunt.


Dividuntur in *nocturnas* & *diurnas*.

1. *Uritis nocturna*, quæ etiam *epinyctis* vocatur, ſiſtit veſiculas atrorubras, noctu potiſſime acriter prurientes. Differunt a terminthis, quod ichorem & non pus contineant.

2. *Uritis diurna*, quæ *hæmeropathos* dicitur, format papulas rubentes, crura obſidentes, quæ extra lectum illico apparent & importune pruriunt, in lecto autem evaneſcunt.

Curatio exigit purgantia & lotiones ex aqua vegetominerali vel appoſitionem medullæ citri.

CLASSIS IV. BULLÆ.



Sunt magnæ & latæ elevationes epidermidis a cute, quæ veſicas repræſentant magnas.

In hanc claſſem pertinent.

PHYMA.

Eſt bulla pure plena, quæ utplurimum ſolitaria hinc inde oritur.

Furunculo eſt ſimilis, ſed planior, mollior & illico ſuppurans.

Naſcitur a depoſitione puris intra cutem & epidermidem. In pueris & in ſcabioſis has purulentas bullas frequenter vidi. Nullibi frequentius quam in apicibus digitorum ſub nomine *panaritii bulloſi* occurrunt.

Curatur inciſione, & elutione cum aqua vulneraria diluta.

BULLA SOLITARIA.

Eſt veſica magna, humorem aquoſum continens, quæ utplurimum ſolitaria apparet.

SPECIES bullarum ſunt:

1. *BULLA VESICATORIA*, quæ emplaſtro veſicatorio excitata fuit. Incidenda eſt, ut aqua glutinoſa effluat, ſed epidermis non detrahatur. Alias dolentiſſima fit excoriatio cutis. Emplaſtro diachilon ſimplici effluxus ſeri ad aliquot dies conſervari, emplaſtro albo camphorato excoriatio ſanari poteſt.
2. *BULLA EX AMBUSTIONE*, ſeu ab affuſa aqua fervida. Inciſa veſica applicetur unguentum album.
3. *BULLA A FRIGORE*. Inciſa veſica applicetur unguentum ad perniones.
4. *BULLÆ GANGRÆNOSÆ*, quæ in partibus gangræna humida affectis cernuntur, & aqua putrida cadaveroſi odoris repletæ ſunt. Antiſepticis ut gangræna curantur.
5. *BULLA PEDICULARIS*. V. *Malis pedicularis*.

6. *Bulla variolosa.* V. *Variolas bullatas.*

7. *Bulla Arabum* eſt bulla ſua ſponte orta, in diu durantem at exiguam excoriationem cutaneam, cutem ſine dolore corrodentem abiens. Folia ſolani nigri contuſa per triduum applicata certiſſimum ſunt remedium. *

8. *Bulla dolentissima* eſt bulla ſua ſponte excitata, in dolentiſſimum, at exiguum & diu durans ulcuſculum cutaneum abit. ** Tentetur applicatio contuſorum foliorum ſolani nigri.

PEMPHYGUS.

Veſicæ ichoroſæ, quæ nucis avellanæ magnitudinem habent, & utplurimum in variis partibus erumpunt, ſic vocantur.

Species ſunt:

1. *Pemphygus febrilis*, qui cum febre putrida erumpit. Veſicæ per plures dies manent, tandem rumpuntur & ſero ichoroſo effuſo in maculas atrorubas, cruſta nigricante circumdatas, abeunt. Subinde hæ veſicæ gangrænescunt.

Curatio exigit primis viis evacuatis antiſeptica & acetum bezoardicum.

2. *Pemphygus apyretus.* Hicce morbus in pauperibus ſordide & malo victu viven-

---

* *Cel.* Forskal *deſc. plant.* c. 2. p. 46.

** *Ill.* Lorry *tract. de morb. cutan.* p. 424.

tibus ſine notabili febre ſubinde cernitur. Acetum camphoratum prodeſt.

3. *Pemphygus a tactu colubri bicephali*, qui, ſi vivus vel mortuus tangitur, apud braſilienſes excitat veſicas magnas ichoroſas, quæ tribus menſibus durare ſolent.

4. *Pemphygus crurum*. Pinguibus, & qui ulcera inveterata in cruribus habent, atque ſub ſanatione fracturæ cruris ſæpe multæ & magnæ veſicæ aquoſæ oriuntur in cruribus. *Curatio* exigit inciſionem veſicarum & elutionem cum aqua vulneraria diluta.

CLASSIS V. PAPULÆ.



Sunt tumores exigui ſed duri, qui vel reſolvuntur vel ex apice quid humidi ejiciunt, & dein deſquammantur.

Differunt a *puſtulis*, quod non in ſuppurationem abeant, a *veſiculis* quod non ſint aquoſæ; ſedere videntur in glandulis cutaneis.

Species papularum ſunt.

VARI ſeu JONTHI.

Sunt tubercula rubra, dura & exigua, quæ fere tantum in facie hinc inde oriuntur.

Diu permanere ſolent, nec dolent, nec pruriunt, nec in ſuppurationem, ut puſtulæ faciei ſolent, abeunt.

Juvenibus victu craſſo utentibus, & ſpermaticis ſunt familiares, circa adoleſcentiam evaneſcere ſolent.

Curatio exigit purgantia ſalina & decocta herbacea reſolventia.

Externe lotio faciei cum aqua ſalita conducit. Matrimonium varos curat.

GRUTUM ſive MILIUM.

Eſt tuberculum faciei albiſſimum & duriſſimum, ſed admodum exiguum, quod magnitudinem, colorem & duritiem gruti ſeu milii refert.

Compreſſione cutis totum tuberculum, quod ſtatim ſub epidermide ſedem habere videtur, exprimi poteſt.

Differt grutum ab herpete miliari, quod hic agmen talium papularum referat, grutum autem papulas ſolitarias.

Cauſa videtur eſſe materia atheromatoſa in cutem depoſita. *

Curatio exigit expreſſionem gruti ex cute.

HERPES ſeu SERPIGO.

Eſt papularum chronicarum ichoroſo-ſquammoſarum ſemper ulterius ſerpentium agmen. **

---

* Vulgi præjudicium eſt, grutum cum jure comeſtum per cutem iterum effloreſcere.

** D. PITNER *diſſ. de herpete. Budæ.* 1780.

Species herpetis ſunt:

1. *Herpes simplex*, noſcitur papulis rubris, pruriginoſis, furfuraceis in cute non multum ſerpentibus, nec eam profunde exedentibus.

2. *Herpes exedens* ſeu *ferus* ſeu *eſthiomenos*, eſt herpes qui cutem ſimul profunde exedit, hinc hic herpes vel ſimpliciter *ulceroſus*, vel ſi ulceris labia retorida & dura valde ſunt, *cancroſus* eſt, qualis ſæpe in facie obſervatur.

3. *Herpes miliaris*, eſt agmen papularum, quarum apici rupto inhæret mollecula ſubrotunda, flaveſcens, grano milii ſimilis, unde nomen.

4. *Herpes pustulosus*, eſt herpes cum puſtulis vel veſiculis complicatus.

5. *Herpes syphiliticus*, eſt herpes, qui a miaſmate venereo excitatur, auribus & capilatæ capitis parti inſidere ſolet, noſcitur ſymptomatibus venereis, & curatur mercurialibus externis & internis.

6. *Herpes spurius*, qui a cauſa externa citra acrimoniam internam oritur ut:

α. *Herpes periſcelis* eſt herpes, qui poplitem, ubi zona vinciri ſolet, infeſtat, vocatur etiam *zona herpetica*, & a zonæ vinctura oriri ſolet. Curatur zona remota.

β. *Herpes collaris* eſt herpes, qui collum in forma zonæ circumdat. Collum Eccleſiaſticorum,

qui collare acri tinctura vel ſmalta cæruleſcente coloratum gerunt, afficit.

γ. *Herpes cerdonum*, qui a ſorditie, qua pedes cerdonum perpetuo alluuntur oritur.

δ. *Herpes a tactu Toxicodendri.*

CAUSA MATERIALIS herpetis eſt peculiaris acrimonia bilioſa chronica in glandulas cutaneas depoſita.

CAUSÆ REMOTÆ ſunt. Vitium in hepate, ingeſta acria præſertim piperata, ſuppreſſa evacuatio ſanguinis, vel perſpirationis, cachexia varia, præſertim ſcorbutica & venerea, materia febrilis, regio palludoſa depreſſa, labes hæreditaria, contagium.

PROGNOSIS. Herpes quandoque criticus eſt. *Exedens* in cancrum nervoſum quandoque abit. *Retropulſus* peſſimos quandoque producit morbos: inflammationem pectoris, phthiſin, tumorem cancroidem &c.

Curatio requirit purgantia & depurantia ſanguinis ſerum. Mercurius vivus cum ſulphure aurato præprimis ſe commendat. * In herpete exedente acidum vitrioli interne & externe adhibitum, eſus pomorum acidorum profuit. ** Fumaria, ſarſaparilla, dulcamara, jus viperæ, antimonialia, cicuta, ſpiritus ſalis acidus, mercurius gummoſus,

---

* SCHMUCKER *vermiſchte chirurg. Schriften.* S. 63. B. I.

** *Collectanea Societatis medicæ Havnienſis* T. II. p. I.

dulcis, sublimatus, aquæ martiales acidulæ, cortex peruvianus cum assectis mixtus.

Externe oleum tartari per deliquium, aut unguentum rosaceum cum sulphure, mercurio præcipitato albo, vel floribus zinci, aut benzoes laudatur. Nec non radix lapati in aceto macerata, thermæ sulphureæ, aqua marina, aqua vegeto mineralis cum spiritu vitrioli, balneum e scoriis metallorum, solutio ex vitriolo albo, sale communi, sulphure, alumine. Aqua stillatitia e succo pomorum borsdorfensium. Folia boni henrici, oleum palmæ. Creta cum lactis cremore, plumbata, mercurialia præsertim solutio sublimati, fonticulus, caustica, lavatorium ex radice hellebori albi & his medicamentis non sufficientibus, emplastrum vesicatorium super parte herpetica applicatum, efficacissima herpetis remedia deprehendi. *

CUTIS ANSERINA.

Cutis subito & ubique innumeris tuberculis, minimis, pallidis, repletur, qualia in cute anserum observantur.

Causa proxima est contractio textus fibrosi cutanei, quæ papillas cutaneas protrudit.

Hinc a frigore ad corpus calefactum admisso, a terrore, a spasmo cutaneo febris intermittentis, & etiam post mortem in cadavere observatur.

* Blochs, *medicinische Bemerkungen S.* 97.

Curatio

Curatio. Eſt morbus fugax, calore brevi & ſua ſponte evaneſcens.

TUBERCULUM.

Eſt tumor induratus, ſubcutaneus, cuti concolor, papula major, non tamen adeo magnus, ut ad tumores magnos referri potius poſſit.

SPECIES tuberculorum ſunt:

1. *TUBERCULUM SCIRRHOSUM*, quod induratio ſeu ſcirrhus glandulæ ſubcutaneæ eſt, ſed benignus, indolens, & cuti concolor. Cancer mammarum ſæpe a parvo tali tuberculo, per multos ſæpe annos quiete hærente, incipit, quod ceſſantibus menſtruis, aut irritatione externa ſæpe in magnum carcinoma mutatur.
2. *TUBERCULUM CANCROSUM*, quod etiam *noli me tangere* vocatur, eſt parvum tuberculum in facie, rubrolividum, quod per multos annos quietum manet, ſi vero medicamentis multum irritatur, dolere incipit & in peſſimum cancrum nerveum faciei abit.
3. *TUBERCULUM CISTICUM*, eſt parvus tumor ſubcutaneus, atheromatoſus vel ſevoſus, qui ſæpe per totam vitam vel manet, vel in atheroma abit.
4. *TUBERCULUM SCROPHULOSUM*. Scrophulæ colli cum parvis talibus tuberculis, quæ circa venam jugularem externam roſarii adinſtar deſcendunt, incipiunt.

5. *Tuberculum leprosum.* Format lepra tubercula ſquammoſa & cruſtoſa in toto corpore & facie. V. *lepra.*

6. *Tuberculum sarcoticum.* Mollia, rubra & indolentia talia tubercula ſæpe magno numero in naſo propullulant.

7. *Tuberculum hydatitosum.* Hydatides ſubcutaneæ, in ſcroto vel ſub mamma naſcentes, globulos rotundos & duriſſimos referunt.

8. *Tubercula pannoica,* quæ ab Hungaris *Tsömör* vocantur; languore, & nauſea prægreſſa oriuntur tubercula, quæ tactu manifeſtantur, circa tempora, in dorſo, nucha, brachiis, præſertim in collo & carpo manuum.

Curantur laxantibus, & dein datis diaphoreticis.

Externe convenit frictio tuberculorum cum allio & aceto vini. *

Curatio. Tubercula juxta indolem tumoris, quem referunt, curari debent. Vide *Doctrinam de tumoribus.*

PHYGETHLON.

Eſt tuberculum rubrum & dolens, quod varo majus, furunculo minus, & phymate durius eſt.

Sæpe circa anum tale tuberculum oritur, quod male tractatum in fiſtulam ani abit.

---

* Baty *Specimen morborum Hungaris endemiorum.*

Curatio exigit purgantia & *externe* aquam vegetomineralem.

LEPRA.

Eſt morbus in quo cutis præſertim faciei rugoſa, & aſpera evadit, atque tuberibus magnis rubro-lividis & rimoſis deformatur, cum extremorum artuum inſenſilitate & voce rauca naſali. *

Signa. Incipit morbus cum una rarius pluribus maculis minimis: morbus incipiens ex cutis inſenſilitate & maculis rubro-pallidis, acus puncturam vix ſuperantibus, quæ ægre a lentigine dinſtinguuntur, quod tamen ope acus adhibitæ, quæ infixa nullum dolorem excitat, & animadverſione, an increſcat, fieri poteſt, noſcitur.

Hæ maculæ ſine omni inflammatione & elevatione ſed potuis cum depreſſione paullatim dilatantur.

Simul cum maculis auricularum lobi intumeſcunt & indurantur, atque in toto ambitu ſubinde tuberculis cinguntur. Deinde nares, labia oris & univerſa facies turgeſcunt & rubore quodam quaſi cinnabarino inficiuntur, progreſſu temporis ad cœruleum vergente, & in vetuſtiori morbo lividiore evadente. Cutis præterea adeſt inſenſilis, & in rugas obdureſcentes corrugatur.

Excreta ſana ſunt, urina tamen pallidula, muriam halecum olet, citoque putreſcit. Sic morbus quandoque ſine notabili incremento per X vel XX an-

* *Cel.* SCHILLING, *de lepra.* Lugd. Batav. 1778.

nos ſubſiſtit. Si vero non bona adhibeatur diæta, tunc

Maculæ leproſæ a facie per univerſum corpus ad plantas pedum usque erumpunt, atque in tubera, habitum corporis mirifice deformantia, ſurgunt. Maxime ſub unguibus naſcuntur veſiculæ, apices digitorum craſſeſcunt & ſenſum amittunt, ſerpit e prima phalange malum in alteram citra dolorem, atque oſſicula absque dolore delabuntur.

Interdum univerſum corporis integumentum induratur & ob tranſpirationem penitus ſuppreſſam intumeſcit in leucophlegmatiam. Accedunt ulcera anodyna, quæ denſis cruſtis brevi labentibus & renaſcentibus obteguntur. Hæc ulcera interdum, quum cutis in toto maculæ ambitu conſumpta eſſet, ſine ulla medela conſolidantur, dum paullo poſt aliæ maculæ prodeunt, quæ pariter exulcerantur. Quidquid e corpore humoris tranſpirat, intolerabiliter fœtet. Pertinax adeſt obſtipatio, excrementa ſunt nigra, valde ſicca. Urina rufa, uroſcopiis tenaciter adhærens. Sitis perpetua: lingua ſemper ſicca, interdum nigris cruſtis tecta, & hinc inde quaſi rimoſa. Sanguis admodum tenuis, exiguam ſeri copiam dimittit, & ex vena miſſus putridum olet, cruoris globuli ſunt albi. Stimulus ad venerem aſſiduus & cum genitalium pruritu ad mortem usque non coërcibilis.

Causa proxima eſt miaſma ſeu acrimonia ſui generis, lentam putredinem humorum & languorem cutis & extremorum inducens. Morbus inter Arabes,

Aegyptios, Abyssiniam & Americam meridionalem endemius, & frequens est. Contrahitur a parentibus & per ubera, coitum, habitum, & sudorem subjecti morbosi: etiam domicilia infecta aliis sunt contagiosa.

CAUSÆ EXCITANTES esse censentur esus carnium semiputridarum: victus piscium & porcorum pinguium leprosorum: potus aquæ multis piscibus putrescentibus repletæ: tempestas constans calida, sicca vel in summo gradu humida. Terror, veneris abusus, refrigeratio contagium jam receptum cito & sæpe intra unam noctem evoluunt.

Prognosis. Lepra est vera crisis virus leprosi, hinc toleranda. Recens curabilis, adulta incurabilis est. *

Curatio exigit, ut causæ excitantes & causæ morbum adaugentes fugentur.

Crisis per cutim promovenda ope balneorum tepidorum, bis in septimana ad 15 horæ minuta usurpatorum, dein quotidie bis adhibitorum, cum emollientibus & leniter detergentibus: ut hepate sulphuris in aqua soluto, exercitatione & vino promotis per trimestre adhibitis.

Ulcera tinctura aloes, myrrhæ & succini deligentur. *Calli* cutis unguento de althea & enulæ emolliantur.

---

* Facilius sanatur lepra, quæ totum corpus, quam quæ solum partem afficit. Acida & mercurialia leprosis noxia sunt.

Si morbus fugatus, corpus roborandum interne & externe per suffimigia. *Antileprosa* interne danda

In sanatis maculæ distinctæ non amplius increscentes a lepra remanent.

Curatio interna tentari potest ledo palustri *, æthiope minerali, antimonio, croco martis, lacte, purgantibus.

Externe adhibeantur solutio salis ammoniaci, balnea sulphurea, martialia, helleborata, & inungantur crustæ butyro, vel unguento ad lepram. **

LEPRA ASTURIENSIS, est lepra Asturiensibus endemia, in qua crustæ æstivo tempore delabuntur & cicatrices coloris rosei, infra cutis libellam depressas, lucidas & per vitam durantes reliquunt. Malum insanabile censetur.

---

* *Schwedische Abh.* 35. vol. *Cel.* ODHELINS casum refert ancillæ lepra nodulosa affectæ, in qua ex infuso ledi palustris seu roris marini sylvestris nodi sensim resoluti fuerunt.

** *Florentiæ* in nosocomio S. EUSEBII leprosi omni altero die inunguntur & sic sine alio fere remedio curantur, sequenti unguento: R. Lardi & butyri majalis aa ℔iiß. Terebinthinæ ℥xiv. ceræ albæ ℥vj. liquefiant lento igne; dein adde, mercurii præcipitati rubri ℥j. Salis communis sicci & merc. sublimati corrosivi aa ℥ij. Succi limoniorum & spiritus aceti aa q. s. pro unguento formando. V. GALEOTI *Dissertatione sopra les malattie, che si curano nel regio spedale di* S. EUSEBIO *con i rimedi soliti usarsi nel medesimo.* FIRENZE 1771.

Demum multi alii morbi cutanei, qui pertinaces sunt & totum fere corpus occupant, nomine lepræ ab Authoribus denotantur, ut

1. *Lepra herpetica*, est herpes crustaceus in toto corpore. V. *Herpes.*
2. *Lepra scabiosa* est scabies putrida, quæ etiam totum corpus occupat. V. *Scabies putrida.*
3. *Lepra fungifera*, quæ excrescentias fungosas format. V. *Frambœsia.*
4. *Lepra sqammosa*, quæ ubique squammas producit. V. *Ichtyosis & impetigo.*
5. *Lepra maculosa*, seu *vitiligo* quæ maculis depressis, albis vel nigricantibus cutem defædat. V. *Alphos & Melas.*
6. *Lepra elephantiaca* seu *arabica.* V. *Elephantiasis.*
7. *Lepra setosa*, vide *hystriciasis.*
8. *Lepra topica*, quæ unam solummodo partem afficit.

ELEPHANTIASIS.

Est lepra, quæ potissimum pedes afficit. *

Signa. In pede adfecto phalanges ossiculorum paullatim intumescunt, cutim & carnes mirum in modum expandunt, crassescunt digiti, tandemque colliquescunt ceræ adinstar, unde a levissima causa hæmorrhagia, sponte & cito iterum cessans

---

* *Cel.* SCHILLING *de lepra. Lugd. Bat.* 1778.

Serpit malum ad femur usque, contracturam articulorum efficiens. Simul panniculus adiposus & cutis in plicas & rugas ita sensim se componunt, ut pedis elephantini formam omnino referat. Demum cruribus deformatis & manuum digiti circa articulos tument, & successive soluti cadunt, inde absque dolore ulcera primo faciem & dein carnosas partes cum intolerabili fœtore depascuntur.

Anatome in amputato ejusmodi crure nulla periostii externi & medullæ ossium vestigia, nec ullas cavitates ossium deprehendit. Nulla ferme vasa vel sanguifera vel lymphatica in partibus internis observantur, eaque in corrugata cute sunt varicosa & fere inania, ambo cruris ossa & ossa pedum quasi in unum confluxerunt, & arteria interossea est deleta.

Prognosis. Morbus incipiens subinde curatur, morbus autem inveteratus, insanabilis est.

Curatio morbi incipientis tentatur balneis sulphureis, quibus cicuta, helleborus albus & globuli martiales adduntur. Dein plurima loca recentibus foliis boni Henrici obtegantur, etiam vesicatoria, & lotio partium cum spiritu vini aquoso, sale tartari & spiritu salis ammoniaci in hunc finem laudantur.

Interne purgantia, aquæ martiales, juscula viperina, fumaria, sarsaparilla, saponaria, chærophyllum, agrimonia, radix dulcamaræ, lapathum acutum, cortex Winteranus, cortex radicis sassafras & pe-

ruvianus * laudantur, nec non antimonium crudum, atque tinctura cantharidum. **

CLASSIS VI. CRUSTÆ.



Sunt cuticulæ mutationes in corpus ſiccum, emortuum, craſſiuſculum, a cute deciduum vel ei adhærens.

Naſcuntur ex ſolidis & fluidis cum glutine morboſo exſiccatis.

Species cruſtarum ſunt:

CRUSTA.

Eſt corpus emortuum, ſiccum, fuſco nigrum, a cute ſine ſuppuratione deciduum, ſolam epidermidem afficiens.

Species crustarum ſunt:

1. *Crusta ulcerum*, ex ulcere male ſanato ſæpe gluten exſudat, quod locum ulceris tali cruſta obtegit.
2. *Crusta scabiosa*, in ſcabie ſimplici tenues, & glabræ, in putrida autem craſſæ oriuntur tales cruſtæ, quæ virides atque pilloſæ ſunt, ſua ſponte decidunt.
3. *Crusta variolosa.* Exſiccatæ variolæ in cruſtas abeunt, vel ſua ſponte deciduas, vel ab ægrotis decerpendas.

---

* *Artzneykundige Abhandlungen von dem Collegio der Aerzte in London.* 1. B. 18. S.

** Murray *de vermibus in lepra obviis, juncta leproſi hiſtoria.*

4. *Crusta cancrosa*, quæ cancrum nervoſum ſubinde ad digiti craſſitiem comitatur. Unguento mercuriali emollitur.

5. *Crustæ leprosæ*. V. *Lepra*.

Curatio cruſtarum exigit ut cruſtæ lacte emolliantur, & dein deglubantur.

ESCHARA.

Eſt corpus ſubhumidum, fuſcum vel nigrum, quod ipſam cutem afficit, & hinc ab ea ſine ſuppuratione non ſeparandum.

Ignis, fulmen, lapis cauſticus, carbunculus & gangræna ſicca cutem adeo in eſcharam mutare valent.

Curatio exigit pinguia & emollientia, ſubinde ſcarificationem, ut ope ſuppurationis natura facilius eſcharam a partibus ſanis ſeparare poſſit.

ACHORES ſeu SCABIES CAPITIS.

Format ulcera cruſtoſa, humida, in capillata capitis parte. *

Species hujus ſcabiei ſunt:

1. *Scabies capitis simplex*. Incipit denſiſſimis granulis ac ſi ex cute grana milii prominerent, hæc granula rumpuntur, & exſudans gluten in toto capillitio ulcera cruſtoſa format; cruſtæ hæ ſunt ubique foraminoſæ, ac ſi tineis eſſent eroſæ. Hinc hæc ſcabies ca-

* *D.* Mihr *diſſ. de achoribus. Budæ* 1783.

pitis etiam *tinea benigna* dicitur. Humiditate ſcabies capitis a tinea vera differt.

2. *SCABIES CAPITIS FAVOSA.* Format ulcera, quæ ob foramella ampliora alveolis favi, melle albido turgidis, ſimilia ſunt. Incipit veſiculis purulentis, in capillitio ſine prævia inflammatione ortis, quæ ſponte vel levi digitorum preſſione crepant, & pultem albidoflaveſcentem fundunt, atque exſiccatæ ſquammas gryſeas relinquunt.

3. *SCABIES CAPITIS FICOSA.* Si ulcera capillitii in foveolis ſuis purulentis granula flava, qualia in ficu diſciſſa ſemina ſunt, habent, *ficoſa* vocatur ſcabies.

4. *SCABIES CAPITIS LUPINA.* Exhibet ulcera ſicca, quæ marginata ſunt ſquammis calloſis, ſeu lupiorum aut cicerum inſtar capitata & incraſſata.

Causa proxima eſt mucus animalis aceſcens ac rancidulus. *

Causæ remotæ ſunt ætas tenera præſertim ablactata, rarius ætas adulta. Diæta prava, labes hæreditaria, metaſtaſis humoris retenti, menſtruatio ſuppreſſa.

Prognosis. Scabies capitis eſt critica evacuatio humoris acrimonioſi, qui per glandulas capillitii excernitur. Hinc eſt morbus infantibus ſalubris,

* *Cel.* LORRY *de m. cut. p.* 439.

ſed neglectus & diu durans cranii oſſa inficit, & tunc difficillime ſanatur.

Scabies hæcce pruritu, dolore & ingenti fœtore infantes moleſtat, pallorem faciei, noctes inſomnes, maciem quandoque cum febre hectica cauſat, & ob pectinationis vel defectum, vel difficultatem ingens pediculorum copia naſcitur. Scabiei excretio frigore vel exſiccantibus *ſuppreſſa* peſſimos oculorum, cerebri aut pulmonum morbos procreat, ut febrem, cæcitatem, ophthalmiam, epilepſiam, convulſionem, glandularum colli intumeſcentias, tuſſim, phtyſim, anaſarcam, hydropem cerebri, apoplexiam.

Curatio exigit 1. *tonſuram* capillitii, & *pectinationem* cum ſcopula ſetacea.

2. *Lotionem* capillitii cum aqua furfurum vel hordei cum melle, vel cataplaſma ex farina avenæ cum aqua & butyro, folia boni Henrici vel braſſicæ criſpæ viridis capiti applicata, naſturtii ſuccum cum pinguedine anſeris, camphoram lacte ſolutam.

3. *Purgantia* ſæpius repetita.

4. *Decocta purificantia* ex bardana vel lapatho, & fumaria. Aquas acidulas martiales, cort. peruvi.

5. *Caput* ſemper mitris & linteis *calidum* ſervetur, *Diæta* obſervetur ſalubris.

Scabies capitis *retropulſa* exigit ſinapiſmum, vel veſicatorium abraſo capiti imponendum, ut revo-

cetur ſcabies, vel denique novam infectionem ope applicatæ mitræ ſcabioſæ.

CRUSTA CAPITIS NEUNATORUM.

Eſt cruſta ſicca, & craſſa, quæ in infantibus brevi poſt partum verticem & ſinciput tegere, & ſæpe medium per annum durare ſolet.

Curatio. Præter purificationem cum ſcopula ſetacea nihil tentetur, nam ſuo tempore ſponte evaneſcit.

CRUSTA LACTEA.

Eſt eruptio cruſtarum in genis vel alio faciei loco.

1. *CRUSTA LACTEA INFANTUM.* * Erumpunt in genis puſtulæ latæ vel acutæ, humore limpido, glutinoſo plenæ, quibus ruptis liquor effluit glutinoſus, tenax, cuti adhærens, qui cruſtam flavo-rubram efficit. Cruſta ipſa ſæpe finditur, eque fiſſuris humor glutinoſus, cruſtæ craſſitiem & duritiem augens, effunditur. Cutis ipſa adfecta dura redditur & partes ſubjectæ intumeſcunt. Tumidæ ſimul ſunt glandulæ jugulares, raro parotides. Aliquando cruſtæ ejusmodi ſerpunt ad auriculas, aut e mento erumpunt, imo quandoque frontem occupant & totam faciem, exceptis palpebris, larva te-

---

* *Cel.* STRACK *de cruſta lactea infantum ejusdemque ſpecifico remedio diſſ. Francof. ad Mœnum.* 1779.

gunt. Quandoque ophthalmia vel otorrhæa simul contingit. Quandoque ad reliquum corpus, ut collum, pectus, abdomen, nates & extremitates a facie transeunt.

Ætas. Infantibus lactentibus magis quam ablactatis, semestribus magis, quam qui dentibus jam gaudent, familiaris est morbus. Interdum vero etiam serius incipit morbus atque ultra dentium eruptionem perstat, interdum recurrit.

Causa proxima acris mucus metastatice ad faciem depositus esse videtur. Non videtur morbus esse hæreditarius, neque aliis infantibus contagiosus.** Infantes enim reliqui innocue cum crustosis in eodem lecto dormivisse fuere visi, atque unus e pluribus infantibus ab eadem matre lactatis morbo solum corripitur.

Exitus. Diuturnus est morbus, qui infantibus quietem & alacritatem detrahit. Ingentem quandoque excitat pruritum, unde infantum fletus, pervigilium, pavor in somno, & alvus tarda: solvitur morbus per urinam tetri odoris, qualem urina fellis spargit.

Nihil mali a morbo remansisse patet, si facies post sanationem mollis.

Sustinuisse hominem v. g. nutricem in sua infantia hunc morbum conjicimus, si cutis faciei solito

---

* Anonimi alicujus authoris *Ausführliche Abhandlung von Sägesprüngen einer bekannten Kinderkrankheit. Nürnberg.* 1779.

magis glabra, & exeſa circa genas tenui lanugine polita & ſplendens eſt, reliqua vero faciei cutis albida magis eſt, ſi erubeſcens non roſeo ſed coccineo ſeu ſcarlatinoſo rubore ſuffunditur, ſed per latas maculas interpoſita albedine diſtinguitur.

Curatio exigit, ut purgatis primis viis infanti quotidie lac, in quo pugillus unus jaceæ ſeu violæ tricoloris recentis incoquatur, detur. Sic intra 3 vel 4 ſeptimanas hic morbus tuto curatur.

Alii angelicam, leviſticum, imperatoriam, arum in decocto laudant. Alii fuliginem ad gr. iv in ſyrupo cichorei.*

Externe evitentur medicamenta plumbata, exſiccantia & oleoſa. Facies cum decocto quodam in quo bilis bubula ſolvitur quotidie lavetur. Cremor lactis acidulus cruſtis illinitus pulchre ſopit pruritum. Nutrix bonam ſervet diætam & iisdem ut infans utatur medicamentis.

Nihil mali a morbo remanſiſſe patet, ſi facies poſt delapſum cruſtarum mollis nec ſupra pinguedinem tumida, cutis tenuis, non dura vel coriacea aut ſquammulis aſpera & urina ſana.

2. *Crusta lactea infantum larvata.* Ante cruſtæ lacteæ eruptionem ophthalmia, obſtructio glandularum, lippitudo, otorrhæa, tabes infantes afficit.

---

* L. c. p. 55.

Nisi quid crustosi in facie se ostendat, lactentis facies crassior est, quam a sola pinguedine exspectes, buccæ tumidæ, rotundæ. Cutis genarum profunde rubra, cutis subjecta dura in pliculas trahi se non sinit, cuticula digito explorata aspera & elevatis minimis squammulis hirta. Frictio partis ab infante tentatur, urina fœtida quandoque.

Non satis egressis papulis efficit materia crustæ lacteæ latens infarctum glandularum meseraicarum, unde tympanites, bulimia, tabes. Repressis autem papulis crustosis morbi glandularum, tussis, asthma, tabes sæpe oriuntur.

Curatio exigit, ut purgatis primis viis decoctum violæ tricoloris vel pulvis ejusdem detur.

3. *CRUSTA LACTEA PUERPERARUM* *

In puerperis quandoque a metastasi lactea in genis, mento, palpebris, imo & oculo pustulæ citra erysipelas, pure lacteo turgentes, summe prurientes, quæ horridæ visui, ruborem cuti conciliant, imo crustæ cute magis depressæ apparent cum odore gravi fœtido. Hæ crustæ non raro abeunt & redeunt, siphilidem simulant, at a dato mercurio summa oriuntur mala.

Curatio. Salus a cura metastasibus congrua, ut a purgantibus, decocto stipitum dulcamaræ & arcano duplicato.

* *Cel.* LORRY *de morbis cutaneis* p. 283.

TINEA

TINEA.

Noſcitur cruſtis virideſcentibus, ſiccis & pertinacibus, quæ capillitium atque marginem frontalem occupant. *

Tineæ *ſpecies* ſunt:

1. *TINEA VERA* ſeu *CRUSTOSA* format cruſtas virideſcentes, cineritias vel nigricantes. Peculiare miaſma hujus morbi cauſa eſſe videtur.

Curatio exigit

1. *purgantia* mercurialia ſæpius repetita.
2. Decocta *purificantia*, medicamenta *mercurialia* & *ſulphurea*. Cicuta, ** ledum paluſtre, lapatum acutum, ſpecifica cenſentur.

Externe 1. Capilli ſunt *abſcindendi*.

2. Cruſtæ *unguento juniperino*, vel cicuta in lacte cocta emolliantur.
3. Dein capilli & cruſtæ *emplaſtro picato* eradicentur.
4. Caput ſæpius *lotione helleborata*, vel ſolutione ſalina, ut ex ſale alcalino, vel ex ſale tartari vel ſedo acri contuſo, vel ſpiritu ſalis unguento mixto, vel unguento ſulphuris cum ſucco citri, abluatur.

---

* D. STEGER *diſſ. de Tinea. Budæ* 1782.

** *Ill.* STOERCK *libel. de cicuta* pag. 173. & *Cel.* STOELLERI *Beobachtungen* p. 139. externo & interno uſu cicutæ tineam curarunt.

2. *TINEA VENEREA.* Præter luis venereæ ſigna adſunt cruſtæ albæ circa tempora & frontem, & in malo inveterato maculæ & puſtulæ venereæ frontis, atque herpes farinaceus aurium.

Curatur hæc tinea interno uſu mercurii.

Externe unguentum cum præcipitato rubro prudenter adhibeatur.

In malo inveterato lotionem cum ſolutione ſublimati, vel penicillationem cruſtarum cum aqua cauſtica pro condilomatibus utilem deprehendi.

MENTAGRA.

Eſt peculiaris ſcabies circa mentum, quæ in cruſtas abit.

SPECIES ſunt:

1. *MENTAGRA VENEREA.* Ingentem numerum talium cruſtarum, gluten viſcidum exſudantium bis, in magna copia venereorum vidi. Præter uſum internum mercurii pars affecta aliquoties de die aqua phagædenica, vel ſolutione ſublimati vel lacte mercuriali ablui debet, unguentum mercuriale de nocte imponatur. His remediis non juvantibus illinantur cruſtæ aqua cauſtica ad condylomata.

2. *MENTAGRA LEPROSA* eſt lepra, mentum & faciem afficiens. *Curatur* ut *lepra.*

3. *MENTAGRA INFANTUM.* V. *Cruſta lactea* in mento.

4. *MENTAGRA PLINII.* Fuit impetigo in mento, quæ Romæ quondam contagioſa fuit. Vide *Impetigo.*

MALUM MORTUUM.

Eſt puſtula, quæ in cruſtam fuſcam, latam & craſſam cum quadam inſenſilitate & turpi aſpectu, abit.

In coxis & tibiis frequenter obſervatur, rarius in facie.

Subinde unica eſt in toto corpore, ſubinde plures, ſed diſtantiſſimæ obſervantur. Hæ cruſtæ ſunt ſiccæ, ſine dolore, fixæ, pertinaciſſimæ, vix pruriginoſæ. Cruſtis elapſis cutis infra eſt granuloſa ſed non exulcerata.

Sanatur ut tinea per dropaciſmum V. *tineam.*

EXANTHEMA LABIALE.

Eſt efflorescentia veſicularum, quæ in labiis erumpunt & cito in parvas cruſtas abeunt.

Febres intermittentes ſæpe hac criſi terminantur.

Curatio præter interna remedia diluentia nihil exigit.

EXANTHEMA SUBAXILLARE.

Eſt efflorescentia veſicularum, quæ in cavo ſubaxillari uno vel utroque erumpunt, magnam copiam

humoris viscidi sæpe excernunt & in crustas tenues ebeunt.

Eruptio tempore æstivo frequenter contingit.

Curatio exigit diligentem ablutionem cum aqua calida, & interna remedia diluentia: jusculum cum chærophyllo & fumaria profuit.

CLASSIS VII. SQUAMMÆ.

Hæc classis continet morbos cutaneos, in quibus cuticula tota vel sub forma squammarum vel furfurum a cute secedit.

Species hujus classis sunt:

FURFURATIO.

Est epidermidis secessus sub forma *furfurum.*

Furfuratio est raro morbus per se, sed utplurimum symptoma porriginis, herpetis.

Curatio hinc juxta morbum, a quo oritur, instituí debet.

DESQUAMMATIO.

Est epidermidis secessus sub forma *squammarum.*

Hic morbus etiam symptoma est impetiginis, vel ichtyosis, hinc ut hi morbi curatur.

EXUVIA EPIDERMIDIS.

Est cuticulæ secessus a cute sub forma magnárum laminarum.

Causæ, quæ epidermidem a cute in latis portionibus ſolvunt, ſunt 1. inflammatio eryſipelacea. 2. Calor aquæ ebullientis, aut ſolis. 3. Maceratio cutis in aqua. 4. Putredo gangrænoſa. 5. Veſicatorium aut aliud acre cuti impoſitum. 6. Acrimonia ſub epidermidem depoſita, ut in quibusdam febribus & ab eſu delphini contingit.

Curatio externa exigit, ut pinguia, butyrum ſimplex aut ex fructu cacao applicetur, ſic facile & ſua ſponte renaſcitur epidermis.

Exuvia epidermidis & cutis a raphania. Non ſolum epidermis ſed & ipſa vera cutis hinc inde ſecedit, adeo ut nudi muſculi & tendines videri poſſint. * *Medela* exigit, ut externe unguentum ſaturninum applicetur.

PORRIGO.

Eſt morbus, in quo in capillata capitis parte rimæ ſiccæ & calloſæ oriuntur, quæ perpetuo ſcatent furfure albeſcente inter pectinandum deciduo.

Species ſunt:

1. *Porrigo furfuracea*, quam mox deſcripſi.

2. *Porrigo lupina*, quæ ſquammas inſtar cicerum format. Vide *Scabies capitis lupinæ*.

---

* *Cel.* Taube *Geſchichte der Kriebel-Krankheit.* 1782. *Göttingen* p. 153.

3. *PORRIGO FARINOSA* seu *SPURIA*, est congeries materiei unguinosæ pulverulentæ, quæ ob pectinationis defectum in capite cumulatur, & crustam sordidam, atque fœtidam, sub pectine farinæ crassæ forma delabentem, constituit.

Materies hæc farinosa vel furfuracea humor sebaceus glandularum capitis esse videtur. Sub his sordibus copiosa proles pediculorum tuta hospitatur.

Curatio exigit diligentem & frequentem pectinationem. Porrigo autem *vera* seu *furfuracea*, ut *scabies capitis*, curatur.

LICHEN.

Est macula solitaria, rubra, aspera, sicca, admodum pruriens, quæ in tenuissimum furfurem solvitur.

CAUSA est peculiaris acrimonia. *Curatur* ut *impetigo*, cujus levissima esse videtur species. *Externe* saliva jejuna aut solutione sublimati cum sale ammoniaco, aut unguento helleborato vel ex mercurio præcipitato rubro vel albo macula fricari debet.

IMPETIGO.

Est morbus, in quo multæ maculæ rubræ, duræ, siccæ, prurientes & asperæ oriuntur, quæ a facie vel collo ortæ, totum corpus petunt & vel in furfures vel in tenues squammas resolvuntur. Hinc est *lichen* in toto corpore.

SPECIES ſunt:

1. *IMPETIGO BENIGNA.* Cutis maculæ rubentes & prurientes evadunt craſſæ, duræ & tumidæ, nec non leviter humeſcunt, & ex humore albido transſudante ſquammæ fiunt albæ, craſſitie papyrum tenuiſſimam æquantes, quæ tam digitis aufferri poſſunt, quam per ſudores decidunt, quibus demptis profluit ſanguis. Hæc impetigo etiam ungues aliquantum deſtruit. Subinde in capitis cute incipit.
2. *IMPETIGO MALIGNA*, eſt illa, quæ cutem peſſime exulcerat.
3. *IMPETIGO HEREDITARIA*, quæ in infante a parentibus eodem morbo affectis obſervatur.
4. *IMPETIGO A CONTAGIO*, ut balneo, lecto, oſculo contracta. Solis oſculis impetigo menti Romæ quondam pandemia fuit. *
5. *IMPETIGO SENUM*, quæ ab acrimonia ſenili in ſenibus obſervatur.
6. *IMPETIGO AB INGESTIS ACRIBUS* ut ſalis, vini vel aromatum abuſu.
5. *IMPETIGO VENEREA*, quæ a viru venereo.
8. *IMPETIGO SCORBUTICA* quæ, a ſcorbuto.

---

* PLINII *Hiſt. nat.* L. 26. C. I. *Cel.* GRUNER *morb. antiquit.* p. 162. ſolide monſtrat mentagram Plinii impetiginem fuiſſe.

9. *IMPETIGO LEPROSA*, quæ a lepra latente.

10. *IMPETIGO FEBRISEQUA*, quæ febres quandoque ſequitur. Cortex tentandus.

11. *IMPETIGO RETROPULSA*, aſthma, cœcitatem & alios morbos infert, hinc acrimonia in cutem veſicatoriis eſt reducenda.

CAUSA PROXIMA impetiginis eſt ſerum acre in cutem depoſitum. Serum acre redditur victu ſalſo & acri, acrimonia latente venerea, aut ſcorbutica, aut leproſa. Nam hos in morbos ſæpe malum erumpit.

Curatio impetiginis benignæ tentatur:

1. *Purgantibus*, cicuta, acidulis, ſucco pomorum acidorum, cort. peruv. ſarſaparilla.
2. *Decoctis purificantibus* chamomillæ & fumariæ.
3. *Solutione* mercurii ſublimati.

Externe balnea ex chamomillis vel thermis ſulphureis conducunt, laudantur præterea externe radix lapati aceto macerata, ſuccus ricini contuſi, ſpiritus ligni ſancti, ſapo venetus cum ſpiritu vini rectificato, oleum tartari per deliquium, ſinapi, medicamenta ſulphurata, mercurialia, plumbata, martialia. * Efficaciſſimum vero remedium eſſe cenſetur herba antilichenia. **

---

* De his omnibus vide egregiam D. LUPINI *diſſ. de lichene. Budæ* 1778.

** *Cel.* HILLARY *Beobachtungen über die Veränderung der Luft auf der Inſel Barbados.* p. 430.

In impetigine *ſcorbutica* & *venerea* ſimul antidota harum acrimoniarum adhibeantur.

ICHTHYOSIS.

Eſt morbus, in quo diverſæ corporis partes teguntur ſquammis ſiccis & albidis, ſucceſſive ſuperincumbentibus, eodem ordine ac modo, quo ſquammæ piſcium ſibi incumbunt. *

Ægroti ſubinde ut piſces fœtent, & in Aſia ſquammæ circulo rubro ſunt cinctæ.

Curatio. Specificum & unicum in hoc morbo remedium eſt decoctum ex cortice intermedio ulmi. **

TYRIASIS.

Eſt lepræ ſpecies, in qua cutis a carne ſubjacente putrida facile detrahi poteſt. ***

A ſcalptura cujusvis partis farina ac furfur excutitur, demum ubique oriuntur maculæ albæ. Naſus & digiti incraſſantur, ut in lepra & omnes pili in toto corpore defluunt.

Causa proxima eſt virus leproſum cum putredine junctum.

---

* *Acta Lipſienſia* 1688. & *Cel.* SAUVAGES *Noſologia methodica* T. II. p. 572.

** *Cel.* LETTSOM *Med. Nachrichten von dem allgemeinen Diſpenſatorio in Londen. Altenb.* 1777. p. 131.

*** A ſerpente *tyro*, qui cutem facile exuit, nomen habet.

Curatio incipientis morbi ut in lepra eſt, ſed adde internum uſum acidi vitrioli.

ASPERITAS CUTIS.

Eſt cutis aſpera, craſſa, fuſca vel rubens.

Species ſunt:

1. *ASPERITAS A VENTO*, facies vento frigido diu expoſita redditur aſpera, ſic etiam fit *a frigore*. Eſt ruſticis & peregrinantibus familiaris.
2. *ASPERITAS A LIXIVIO* vel *SAPONE*, quæ in manibus lotricum invenitur. Alcali cauſticum ſaponis cutem ſic deturpat.
3. *ASPERITAS AB ÆTATE.* Quo provectioris eſt homo ætatis, eo craſſior fit cutis, præſertim in facie.

Curatio cutis aſperæ butyro cacao & aliis pinguibus obtinetur. *Coſmetica* raro proſunt præter bilem bubulam.

CUTIS RUGOSA.

Senium, vel peculiaris laxitas cutis vel conſuetudo frontem perpetuo rugandi, faciunt ut hæc, præſertim in fronte, in rugas contrahatur.

1. *RUGOSITAS A LAXITATE* fumo aromatico ex myrrha curari dicitur.
2. *RUGOSITAS LEPROSA.* Frons in hoc morbo rugoſa fit, malum ut morbus, a quo oritur, eſt incurabile.
3. *RUGOSITAS SENILIS* eſt incurabilis.

CLASSIS VIII. CALLOSITATES.



Sunt mutationes epidermidis in ſubſtantiam albidam, duram, craſſam & inſenſilem.

Huc ergo referuntur ſequentia *genera*:

CALLUS.

Eſt epidermis indurata, craſſa & inſenſilis.

Causa proxima eſt muci malpighiani major ſecretio, exſiccatio & induratio. Irritatio ſecretionem, preſſio & aer condenſationem faciunt.

Cauſæ remotæ ſunt diuturnus *attritus*, unde major muci malpighiani ſecretio, & induratio. Idem ab acore minerali * & a calore fervido obſervatur. **

* Spiritu vitrioli aut ſulphuris adeo cuticula induratur & incraſſatur, ut tales ignem devorare poſſint. Deslandes *Brem. Magazin* T. 1. p. 665.

** Frictione & ingenti calore deſtruitur cuticula, at renaſcitur alia, primæ ſimillima, ſed continuata cauſa frictionis, calorisve ad primam cuticulam novæ aliæ laminæ calloſæ perpetuo accedunt, quæ demum in adeo craſſum corneumque tuber abeunt, ut tales homines prunas ardentes vel ferramenta candentia in manu circumgerere, & fuſo metallo demum manus lavare diſcant. Id *Magnus* Boerhaavius de fabris ferrariis teſtatur, id *Illuſtr.* Hallerus in vitrariorum officinis vidit.

SPECIES sunt:

1. *CALLUS IN PALMIS MANUUM*, oritur ab assiduo labore, & tractatione instrumentorum crassorum.

2. *CALLUS IN PLANTIS PEDUM* accrescit, si pedibus nudis longo tempore incedamus. * Dolentissimus evadit talis callus, si rimam seu fissuram contrahit. Optimum remedium in hoc morbo fuit mihi unguentum album camphoratum cum unguento neapolitano mixtum, si calceus simul induatur latior. **

3. *CALLUS FISTULARUM & ULCERUM*, est margo callosus, qui ulcera circumdat, oritur vi exsiccante aëris aut turundis multum prementibus.

Curatio. Ablata pressione callus manuum & pedum sua sponte sensim evanescit, aut maceratione in aqua, applicatisque unguentis camphoratis emollitur, vesicatorio, vel phosphoro tollitur.

CICATRIX.

Est callus a consolidato vulnere vel ulcere relictus.

---

* A sola calida arena Ægyptiis soleæ non minus duræ, quam bobus sunt, ut absque dolore possint ferro calceari; & in siamensium regno super ignitas prunas tuto ingrediuntur. *Illustr.* HALLERI *Element. Physiologiæ* T. V. p. 58.

** *Cel.* CAMPER *Abh. über den besten Schuh*, p. 49.

Formatur a muco malpighiano, quo vulnera ultimatim conglutinantur.

Cicatrix pulchra vocatur, quæ cute, nec elevatior, nec depreſſior eſt, ut in vulneribus, acuto inſtrumento inflictis & apte unitis videre eſt.

Diverſæ obſervantur cicatricum *ſpecies*:

1. *CICATRIX ELEVATA*, oritur, ſi caro ultra vulneris libellam luxurians, exſiccantium vi in cicatricem exſiccetur. Hæ cicatrices utplurimum iterum aperiuntur, niſi id apta compreſſione & roborantibus impediatur.
2. *CICATRIX CAVA*, contingit, ſi per ſuppurationem cutis & membrana adipoſa multum conſumpta eſt. Sic vulnera carioſa, ſpina ventoſa, & profundæ ambuſtiones relinquunt cicatrices cavas, quæ infundibuli forma ad oſſa fere pergunt. Hæ cicatrices ſunt inſanabiles.
3. *CICATRICES A GRAVIDITATE.* Referunt hæ cicatrices in regione hypogaſtrica abdominis, in inguinibus & interioribus femoris partibus *ſtrias albicantes*, adhuc diu poſt partum conſpicuas, ſed cum tempore fere evaneſcentes.
4. *CICATRICES VARIOLOSÆ*, quæ præſertim in facie a prægreſſis variolis veris remanere ſolent,
5. *CICATRICES LEPRÆ ASTURIENSIS*, quæ roſei coloris, infra cutis libellam depreſſæ & lucidæ eſſe ſolent.

CLAVUS.

Eſt tuberculum calloſum, album, rotundum, in digitis vel plantis pedum. *

Sed clavorum locus frequentiſſimus in dorſo digiti minimi, quandoque vero in aliis, eſt : quandoque inter digitos in ſuperficie interna utraque duorum digitorum ſibi accumbentium duo clavi inveniuntur.

Species clavorum ſunt :

1. *Clavi superficiales*, qui epidermidi & cutis ſuperficiei externæ ſolummodo adhærent.
2. *Clavi profundi*, qui cuti, tendinibus aut perioſteo adhærent, hinc a preſſione cutis dolent. In ſuo centro *nucleum* duriſſimum habent, quo eradicato pars affecta non dolet, usque dum novus nucleus efformetur.

Naſcuntur clavi a preſſione loculi digitorum, hinc familiares ſunt illis, qui calceis arctioribus aut latioribus utuntur.

Curatio exigit :

1. Ut clavus pediluvio tepido bene emolliatur, & ut nucleus clavi dein unguibus digitorum vel cultello caute eximatur.
2. Dein clavus cera viridi, vel folio ſedi, aceto forti macerato, aut emplaſtro diachilon vel ſa-

---

* Rousselot *Toilette des pieds.* & *Ill.* Richters *Chirurg.* T. I. p. 428.

ponato vel emplaſtro ad clavos per aliquot ſeptimanas tegatur & a preſſione defendatur. Subinde clavus ſolo emplaſtro veſicatorio vel tinctura cantharidum auferri poteſt. Efficaciſſimum remedium eſt, ſi globulus ex unguento de ranis cum mercurio quadruplicato ope emplaſtri longi & tenuis ad clavum applicetur. *

Nimis profunde exciſus clavus ingentem totius cruris inflammationem, gangrænam, vel cancrum fungoſum vel tetanum cauſare poteſt.

3. *Clavus in planta pedum.* Quandoque unus, quandoque integra congeries clavorum plurium invenitur. *Salus* a foliis ſedi minoris recentis contuſis & per noctem in aceto maceratis atque clavis applicatis ſperanda. **

4. *Clavus* ſeu *verruca sub ungue.* Unguem elevat, ingentem excitat dolorem, & a minima mole quandoque in ingens & duriſſimum excreſcit cornu. *Medela* exigit, ut unguis pediluvio maceratus ad latus utrumque

---

* *Cel.* Campers *Abh. über den beſten Schuh. Wien* 1782.

** *Celeberrimus* Closius, practicus expertiſſimus Peſtinenſis ægrotam, quæ jam a longo tempore congeriem 16 vel plurium clavorum ſub pollicis majoris haluce gerebat, intra aliquot ſeptimanas hac methodo ſanabat.

verrucæ ſubungualis incidatur, dein unguis a verruca elevetur & cornu excidatur. *

5. *Clavus ad cristam ilii*, hic in feminis a nimis arctis thoracibus, criſtas ilii prementibus, oritur.

CLASSIS IX. EXCRESCENTIÆ CUTANEÆ.



Sunt parva tubera, quæ ultra cutis libellam prominent.

Hi morbi per ſucci nutrititii copioſiorem affluxum & adhæſionem fieri videntur.

Genera hujus claſſis ſunt:

VERRUCA.

Eſt tuberculum durum, ſcabrum, indolens, ex cute prominens. **

In facie & manibus, raro in partibus aliis naſcuntur.

Causa eſt raro cognita. An acrimonia verrucoſa detur, & an hæc ſit contagioſa, non adeo clare notum eſt.

Species verrucarum ſunt:

1. *Verruca vulgaris*, quæ in baſi & apice ejusdem diametri eſt.

---

* *Cel.* Camper l. c. p. 52 & 56.

** *Ill.* Richter *Chirurgie* T. I. p. 420.

2. *Ver-*

2. *VERRUCA PENSILIS* ſeu *ACROCHORDON* eſt verruca, quæ ope petioli anguſtioris cuti adhæret.

3. *VERRUCA SESSILIS* ſeu *PORRUM*, eſt verruca cuti immerſa, ſeu vix extra cutem prominens.

4. *VERRUCA CARNEA* ſeu *MOLLUSCA* eſt tuberculum molle, ſenſile, cuti concolor vel rubens, ſæpe piloſum. In naſo & facie utplurimum invenitur. Videtur admodum magna glandula cutanea quaſi eſſe.

5. *VERRUCA MADIDA* ſeu *MYRMECIUM*, eſt verruca mollis, nuda, & ſemper madida.

6. *VERRUCA GREGALIS*. Dantur verrucæ admodum parvæ, quæ gregatim in facie vel manibus erumpunt, ſed etiam ſæpe ſponte evaneſcunt.

7. *VERRUCA FEBRILIS*, quæ cum febre ut exanthema in toto corpore erumpit. V. *Variolas verrucoſas*.

8. *VERRUCA CANCROSA* ſeu *MALIGNA*, eſt verruca livens vel rubens, dolens, varicoſa, quæ in cancrum abit. *

9. *VERRUCÆ VENEREÆ*, ſunt moris, vel frambæſiis ſimiles, quæ in venereorum facie erumpunt, ut aliquoties vidi.

---

* DEVENS *Diſſ. de fungo cancroſo ex verruca orto.*

Curatio verrucarum obtinetur.

1. *Ligatura*, quæ in verrucis petiolatis ope fili sericei, vel setæ equinæ peragi potest.
2. *Excisione*, qua verrucæ cancrosæ curantur.
3. *Causticis*: ut spiritu salis concentrato, aqua forti, oleo camphoræ caustico, quibus verrucæ mediante penicillo bis de die illini debent.
4. *Inustione*, acus ad candelam excalefacta in verrucam infigitur.
5. *Frictione* verrucæ cum *sapone nigro*, vel *lacte* vel *folio ficus*, vel *cerumine aurium*.
6. Applicatione *emplastri vesicatorii*, & *tincturæ cantharidum*.
7. *Remediis sympatheticis*. Sic verruca pomo, vel carne, vel sanguine, ex anguillæ capite abscisso stillante, multum fricta, & remediis dein in terram sepultis, evanescere dicitur. Mihi res, sæpius tentata, non successit.

Verrucæ *gregales* sæpe dato purgante, dein asa fætida aliquot septimanis assumpta, sponte evanescunt. Verrucæ *venereæ*, ut condylomata venerea, curantur.

CORNUA CUTANEA.

Sunt excrescentiæ callosæ vel verrucosæ, sed admodum magnæ.

Subinde totum corpus vel pars corniculis exstantibus horret. *

* Ill. HALLERUS in suo magno opere physiologico observationes de cornibus cutaneis congessit. Tom.

Curantur ſpiritu nitri fumante, aut ſolutione argenti, qua cornua circa baſim ſæpius illini debent, vel *exciſione* cornuum e cute.

HYSTRICIASIS.

Eſt papillarum, ſetis rigidis, ut hyſtrix habet, ſimilium, copioſa progenies in cute.*

Nec *cauſa* nec *curatio* miri hujus morbi cutanei nota eſt.

CONDYLOMATA.

Sunt verrucæ molles, quæ circa anum & pudenda utriusque ſexus excreſcunt.

Reſpectu originis, figuræ, magnitudinis & indolis admodum variæ ſunt hæ excreſcentiæ.

---

v. p. 30. Ex fronte cornu natum refert ZACUT. ex maxilla BARTHOLIN, ex capite duo cornua LEIGH. cornu 9 unciarum de capite feminæ deſectum THORESBI, undique ex cute capitis INGRASSIAS, ex omnibus digitis, *Phil. Trans.*, ex femore vetulæ *Journal.* de *Medic.* & *Hiſtoire de la Chirurgie*, ex vulnere genu, BENEDICTUS, undique ex manibus, pedibus, capite & fronte, INGRASSIAS, ex articulis artuum, natibus & mammis SYLVIUS.

* In Anglia fuit homo viſus, cujus caput ſetis rigidis, pellucidis, 6 lineas longis, 2 vel 3 craſſis, horreſcebat. Hæ ſetæ quovis autumno decidebant. Is genuit 5 filios eodem morbo affectos. V. *Phil. Trans.* n. 424. & *Journal. de Med.* Mars 1756.

Species esse solent:

1. *Condylomata venerea*, quæ vix dolent & ex prægressis vel præsentibus aliis symptomatibus venereis noscuntur.
2. *Condylomata hæmorrhoidalia*, quæ absentia symptomatum venereorum, atque prægressis hæmorrhoidibus noscuntur.
3. *Condylomata maligna*. Hæc dolent, livent, & in cancrum abeunt: ex male tractatis condylomatibus aliis nascuntur.

Respectu *figuræ* vocantur condylomata.

1. *Ficus* vel *sycocis*, quæ magna sunt & ficus figuram referunt.
2. *Cristæ*, quæ cristis gallinaceis similia sunt.
3. *Tymus*, quæ flores tymi vel brassicam caulifloram repræsentant.

Causa proxima, est evolutio vasorum, quæ papillas cutaneas constituunt.

Curatio. Condylomata *venerea* præter internum mercurii usum quotidie bis solutione saturata mercurii sublimati, vel aqua caustica ad condylomata ope penicilli illini & illico linimento mercuriali obtegi debent.

Condylomata autem jam nimis *magna* & *sarcotica*, cultro, forfice vel si petiolata sunt, ligatura auferuntur.

Condylomata *hæmorrhoidalia* linimento cathæretico, ex pulvere aluminis usti, opii, flammulæ jo-

vis cum unguento de linaria ſubactis, ſæpe curantur.

Condyloma *malignum* ut cancer tractetur.

Condylomata *indurata* cepa oleo cocta emolliantur, ac dein pulvere ſabinæ conſpergantur. *

F R A M B Æ S I A.

Eſt morbus, in quo prægreſſis puſtulis variolis valde ſi milibus excreſcentiæ fungoſæ, mori fructus referentes, præcipue in plantis pedum quandoque in toto fere corpore excreſcunt. **

Morbus hicce americanis eſt endemius & licet mercurio curetur & per coitum inficiat, tamen venereus non cenſetur, nam quos ſemel exercuit, ſi bene ab eo curati ſint, hos non amplius aggreditur; genitalia maxime afficit. Morbo inve-

---

* *Neue Verſuche und Bemerkungen einer Geſellſchaft zu Edimburg.* 3. B. p. 373.

** Americani has excreſcentias *Pians* ſeu fungos dicunt, hinc *Cel.* CARTHEUSERUS hunc morbum *lepram fungiferam* nominat. *Cel.* SCHILLING *de morbo in Europa pene ignoto, quem Americani vocant Iaws.* 1770. *Trajecti ad rhenum* & *Cel.* NIELEN, *von den indianiſchen Pocken, oder den ſogenannten Jaws.* Vide *Sammlung für praktiſche Aerzte* 7 *Band* 2 *und* 3 *Stück.*

terato ſeſe adjungunt ulcera dyſepulota, exoſtoſes, caries, anchyloſes & macies.

Curatio. A morbi initio usque ad finem decocta purificantia ex herbis ſaponaceis & leniter ſudorifera medicamenta dentur. Poſt integrum fungorum incrementum, quod intra 3 menſes ordinarie contingit, ſolutio ſublimati corroſivi cum decocto ſaturatiſſimo ſarſaparillæ detur. Sanato toto morbo *princeps fungus*, qui *Mamapian* Guineenſibus dicitur, ſolutione cauſtica conſumi debet.

Nigritæ fuliginem lebetum æneorum, ſucco limoniorum dilutam, ulceribus & fungis applicant.

CLASSIS X. ULCERA CUTANEA.



Sunt ſuperficialia ulcera ſeu ſolutiones continui purulentæ in ſola externa cutis ſuperficie.

Genera hujus claſſis ſunt.

EXCORIATIO PURULENTA.

Eſt ulcus ſuperficiale & purulentum in cutis ſuperficie.

Species ſunt:

1. *Excoriatio bullosa.* Ea eſt, quæ cum bulla, vi aut ſua ſponte rupta, incipit. Exigit linimentum molle.

2. *Excoriatio a vesicatorio.* V. *Bulla a veſicatorio.*

3. *Excoriatio acrimoniosa.* Materia venerea, cancroſa, ſcabioſa vel alia cuti illita prævia inflammatione ulcus ſuperficiale excitat.

Curatio exigit unguentum molle cum ſpecifico contra detectam acrimoniam.

4. *Excoriatio papillarum in mammis*, quæ a violenta ſuctione infantis aut acrimonia ejus ſalivæ oritur.

Curatur butyro cacao vel pulvere inſperſo ex amylo, bolo armena & ſaccharo albo.

INTERTRIGO.

Eſt excoriatio genitalium vel alius partis, madens, & rubens, ab urinæ vel ſudoris acrimonia.

Species ſunt:

1. *Intertrigo genitalium* eſt lactentibus familiaris, oritur cuſtodum negligentia, quæ infantes in linteis, urina fæcibusque conſpurcatis, diu ſine purgatione relinquunt.

Curatio exigit diligentem mutationem linteorum mundorum, & inſperſionem pulveris amyli, lycopodii, vel boli armenæ.

2. *Intertrigo scroti* ſudantibus a ſudore acri, & in incontinentia urinæ adultis etiam familiaris eſt.

3. *INTERTRIGO SUBAXILLARIS*: tempore æstivo a sudore acri cavnm subaxillare sæpe excoriatur.

4. *INTERTRIGO AURICULARIS*. Infantes retro aures sæpe excoriari solent, præsertim si scabie capitis laborant.

Curatio intertriginis exigit, ut excretio non subito impediatur, sed prius datis purgantibus locus excoriatus ab initio cerato vel butyro cacao, in fluxu servetur dein bolo armena inspergatur. Cerussa plumbi evitetur.

APHTHÆ.

Sunt parva, albicantia & superficialia ulcuscula in oris cavo, vel, quod rarius est, in genitalibus, primis viis, aut trachea.

Incipiunt aphthæ sub forma vesicularum miliarium albarum, quæ in apice foraminulum gerunt, dein collabuntur & aliquantum latescunt.

SPECIES aphtharum sunt diversæ respectu *loci & indolis*.

1. *APHTHÆ INFANTILES*. Lactentibus sunt familiares & a lacte corrupto infantis vel nutricis fieri creduntur. Palatum, linguam & genas internas obsident, non raro simul in genitalibus observantur.

Infantes lac sugere recusant, pervigiles & febrientes sæpe fiunt, nutrices calorem oris infantis sub lactatione sentiunt, & non raro papillæ mammarum aphthis inficiuntur.

Curatio exigit, ut infans ſyrupo de ſpina cervina vel manato purgetur, & ut os aphthoſum aqua vitriolata cum melle roſacco vel ſolutione boracis, quæ etiam interne dari poteſt, ſæpius de die eluatur.

Nutrix ſimul purgetur & bibat decoctum bardanæ atque ab omnibus acidis, acribus & vino abſtineat.

2. *APHTHÆ ADULTORUM.* In palato, interna ſuperficie genarum vel labiorum, ſubinde in tonſillis vel faucium cavo una vel plures *magnæ* aphthæ oriuntur. Apex & latera linguæ punctis hinc inde pertuſa videntur. Locus aphthæ ſub maſticatione aut deglutitione acriter dolet. Febris abeſt. *

Curatio eſt ut in aphthis infantum.

3. *APHTHÆ FEBRILES.* Erumpunt cum febre acuta & non ſolum oris cavum, ſed ſubinde ſimul fauces, tracheam, æſophagum, atque primas vias obſident. V. apud Authores deſcriptionem *febris aphthoſæ.*

4. *APHTHÆ GANGRÆNOSÆ*, livent & fætent: obſervantur in angina gangrænoſa, &

---

* Vidi nuper in quodam pago multos ruſticos os admodum habuiſſe aphthoſum, cum lac, e vaccis aphthoſis mulſum, frigidum tempore meſſis potarent, nobiliores autem hujus pagi, qui lac bibebant calefactum, aphthis non afficiebantur.

febre maligna. Exigunt collutorium ex cortice peruviano, ruta & camphora.

5. *APHTHÆ VENEREÆ* ulcera ſuperficialia, muco gryſeo tecta, faciunt: noſcuntur ſignis luis venereæ, curantur collutorio ex amylo & mercurio gummoſo, & decocto ſarſaparillæ.

6. *APHTHÆ MERCURIALES*, quæ cum ptyaliſmo & oris fœtore erumpunt, præſertim orificia ductuum ſalivalium *Stenoni* afficiunt.

Curantur purgantibus, balneis calidis, & decocto emolliente lacteo.

7. *APHTHÆ SCORBUTICÆ* noſcuntur ſtomacace gingivarum & aliis ſcorbuti ſignis.

Curantur interne antiſcorbuticis, externe melle roſaceo & ſpiritu ſalis tangantur, atque dein tinctura gingivali eluantur.

Huc pertinet *cancer aquaticus*, qui magna eſt aphtha, cito in gangrænam buccarum vel labiorum tranſiens, curatur etiam interno & externo uſu ſpiritus ſalis marini.

8. *APHTHÆ SYMPTOMATICÆ* ſunt illæ, quæ febri miliari, petechiali, dyſenteriæ, phthyſi, gangrænæ pulmonis & cancro ſuperveniunt, atque utplurimum incurabiles ſunt.

FISSURÆ.

Sunt ſolutiones lineares, ſiccæ vel humidæ, in cuticula vel cute.

Species ſunt:

1. *Fissuræ a frigore*, quæ in labiis oris, manibus, pedibusque hieme obſervantur.

   Curantur unguento ad perniones.

2. *Fissuræ labiorum a vento*, quæ tempore ventoſo itinerantibus contingunt.

   Curantur butyro cacao vel unguento ad labia.

3. *Fissuræ ab acribus*. Ut accidunt ancillis lixivium calidum incaute tractantibus.

   Curantur butyro. Fiſſuræ, quæ in manibus ab *atramento typographico* oriebantur, unguento alcalino curabantur.

4. *Fissuræ papillarum mammæ*. Nutricibus a violenta & perpetua ſuctione infantis ſunt familiares.

   Curatio exigit abſtinentiam aliqualem a lactatione, butyrum cacao & pulverem ad mammillas, qui ex amylo, ſacharo & bolo armena conſtat.

RHAGADES.

Sunt malignæ, ſiccæ & profundæ fiſſuræ cutaneæ.

Species ſunt:

1. *Rhagades venereæ*, quæ in volis manuum plantisque pedum, atque circa ani & vulvæ orificium oriri ſolent. Noſcuntur morbis venereis prægreſſis.

Curantur admodum difficulter. Interne dentur mercurialia. Externe pomatum ex mercurio præcipitato rubro vel albo, aqua phagædenica, vel ſolutio ſaturata mercurialis adhibeatur.

2. RHAGADES LEPROSÆ ſunt, quæ in lepra, elephantiaſi & frambæſia totam fere cutem occupant.

3. RHAGADES ANONIMÆ, quas in hominibus nec venereis, nec leproſis ex cauſa adhuc incognita in volis manuum vidi. Cuticula craſſa, rhagadibus plena erat, gluten copioſum ex rhagidibus exſudabat. Nec mercurius, nec alia medicamenta profuere. A decocto ſaturato chærophilli interne & externe adhibito ſæpius cuticula cum rhagadibus quandoque ſeceſſit, laudatur etiam auripigmentum, cum unguento digeſtivo. Nuper hæc curatio tentata fuit: *

1. Lavetur manus *lixivio cinerum* ex ligno.
2. Dein *aqua pulviali deſtillata* abluantur.
3. Dein manus ſequenti unguento illinantur. ℞. Sevi vervecini, ceræ albæ, ſucci pomorum borsdorfenſium & olei olivarium p. æquales, in unguentum redigantur, hocce chirothecæ

---

* *Cel.* THEDEN *Bemerkungen.* 2. *Theil. p.* 262. Rhagades digitorum & volæ manus jam a 10 annis vexantes in proprio corpore hac methodo ſanavit.

illinantur, quibus manus die noctuque induantur.

4. Interne *Tinctura antimonii Thediana* & ad vesperas *gummi guajaci* cum gr. v. *saponis antimonialis* detur.

4. *Rhagades seniles*, quæ in senibus a cutis siccitate & transpiratione suppressa oriuntur.

Curatio prior tentetur.

CLASSIS XI. VULNERA CUTANEA.



Sunt vulnera, quæ solam cutem lædunt. Huc maxime pertinent.

EXCORIATIO CRUENTA.

Est cuticulæ vel cutis a partibus subjacentibus cruenta & violenta seperatio.

Species excoriationis cruentæ sunt:

1. *Excoriatio a violento attritu*, quæ supra partes ossibus sustentatas, ut supra spinas tibiarum, cranium aut digitorum articulos frequentissime contingit. Hæc excoriatio summe dolorifica est, & paulo post multum inflammatur.

Nihil utilius est quam fomentum ex aqua Thediana vel ex vino tepido cum aliquot guttis extracti saturni. Ipsa viva excoriatio parva pors

tione emplastri anglicani tegatur. Evitentur spiritus & unguenta præsertim in corporibus cachecticis, in his ab excoriatione violenta sæpe magnum ulcus erysipelatosum excitatur.

Huc etiam pertinet *Excoriatio* volæ *manus* a labore, aut *pedis* plantæ ab itinere, excoriatio in interna & summa *femorum* parte ab equitatione, & in regione *ossis sacri* aut calce pedis a longo & duro decubitu. V. *Erythema ab attritu.*

2. *EXCORIATIO UNGUICULARIS*, quæ ab unguibus hominis, fellis, vel alius animalis infligitur. Longam & cruentam repræsentat lineam, sic etiam infantes, quibus cutis in capite vel alio loco moleste prurit, unguibus locum prurientem adeo fricare solent, ut sanguis ex cute erumpat.

SCISSURA.

Est solutio cutis, cruentam lineam referens, acuto instrumento inflicta.

Curatur optime, si vulnus emplastro anglicano uniatur.

PRESSURA.

Est cutis intra ungues digitorum compressio.

Partes nerveæ sic pressæ ut labia, facies, aut mammæ non raro tuberculum durum inflammatum retinent, quod in cancrum degenerare potest.

Curatio exigit, ut illico vino tepido inflammatio resolvatur.

MORSUS.

Eſt cutis intra dentes animalis ſolutio cruenta.

Morſus Species ſunt, *morſus ſimplex* & *morſus ab animali rabioſo* vel *irrato*. Eadem mala producit ac preſſura cum unguibus. Sed morſus animalis *irrati* vel *rabioſi* præterea rabiem inducit. V. *Vulnera venenata*, quæ in *chirurgia* deſcripſi.

Curatio morſus ſimplicis exigit balſamum Arcæi.

PUNCTURA.

Eſt ſolutio cutis per acum, aliudve inſtrumentum acutum.

Species ſunt:

1. *Punctura simplex.* Si cutis per acum pungitur, una alterave guttula ſanguinis exit, quæ aëre exſiccatur & vulnus intra diem ſua ſponte, ſi ſanguine tectum manet, ſanatur.
2. *Punctura complicata cum cuspide fracta et intra vulnus relicta*, ut ſæpe cum feſtucis ligneis contingit.

   Curatio exigit, ut corpus heterogeneum e vulnere extrahatur.

   Si hæc extractio impoſſibilis eſt, vulnus lanceola dilatetur, aut excitetur vulneris ſuppuratio, ſic feſtuca fere ſua ſponte exit.

3. *PUNCTURA A VIPERA VENENATA* vel *NON VENENATA.* Noſcitur duabus puncturis juxta ſe locatis. Viperæ venenatæ fere omnes duos in ore gerunt aculeos, plicatiles & cavos, quorum baſis premit folliculos duos, ſucco venenato turgidos, qui in vulnus effunditur, dum animal mordet.

Puncturæ viperarum non venenatarum leves & ſine periculo ſunt, venenatarum autem puncturæ peſſima ſymptomata & ſæpe brevi mortem inferunt. V. *Toxicologiam.*

4. *PUNCTURA AB HIRUDINE.* Vulnus ab hoc verme illatum eſt triangulare; ſubin etiam ablato hirudine diu ſanguinem plorat.

Curatur ſuaſponte vel applicato vino calido.

ICTUS AB INSECTO.

Eſt punctura ab inſecto illata.

Species ſunt:

1. *ICTUS A PEDICULO* facit parvum ſtigma cutaneum, cujus peripheria albeſcit.
2. *ICTUS A PULICE* ſtigma facit, cujus ambitus late rubet. An pediculus ſolum ſanguinem, & pulex ſolum ſerum ex inflicto vulnere exſugit?
3. *ICTUS A CIMICE, CULICE & VESPA*, tubercula rubra & admodum prurientia relinquit in cute. Hæc applicatione aquæ frigidæ, vel aceti curantur.

4. *ICTUS*

4. *Ictus a scorpione.* Hic multis animalibus lethalis eſt, ſed hominibus raro, niſi magnus nervus pungatur. Laudatur externe oleum ſcorpionum, quod autem non ſemper ſymptomata aufert.

5. *Ictus a tarantula.* Hujus ictus dolorem, dein tumorem liveſcentem, paucos poſt dies cruſta nigricante obſitum, excitat; accedunt ſomnolentia, oppreſſionis anxietatisque ſenſus, & demum dolores in ſingulis corporis articulis, ſed nunquam effrenis ſaltandi cupiditas homines demorſos inceſſit, ut vulgo narratur. Hæc ſymptomata diaphoreticis curantur.

6. *Ictus a furia infernali.* Hoc inſectum eſt vermiforme, tenuiſſimum & vix duas lineas longum. In Suecia ex aere delabitur, & momento citius tum in hominum, tum in jumentorum corpora penetrat, atque tam diros excitat dolores, ut miſeri homines quandoque intra horæ quadrantem pereant, dantur tamen, qui diutius durant.

Cognoſcitur locus ex ſtigmate exiguo, fuſco, & dolentiſſimo. Fenones lac recenter coagulatum parti vulneratæ imponunt, ſic dolor remittit, & inſectum foras prorumpit: alii cultro locum incidunt, & animal extrahunt. V. *Toxicologiam.*

CLASSIS XII. INSECTA CUTANEA.

Insecta & vermes, qui externam corporis superficiem infestare & in vel sub cute sedem figere solent, frequentissimi hi sunt:

1. *PEDICULI* capitis & pubis in phtyriasi.
2. *ACARUS SCABIEI* in scabie verminosa.
3. *ACARUS EXULCERANS* in scabie ferina.
4. *LARVÆ MUSCÆ LEPRÆ* in lepra nigritarum.
5. *LARVÆ MUSCÆ CARNARIÆ ET VULGARIS* in vulneribus, ulceribus, variolis & lepra.
6. *PULEX AMERICANUS* sub cute americanorum.
7. *LARVÆ ÆSTRORUM*, quæ sub cute boum & rhangiferorum tubera faciunt.
8. *SYRONES* in pustulis manuum & pedum.
9. *GORDIUS MEDINENSIS* seu *DRACUNCULUS PERSARUM*, qui in telam cellulosam penetrat.
10. *LUMBRICUS EFFRACTOR*, qui quandoque ex abdomine effringit.
11. *FURIA INFERNALIS*, quæ cutem perfodit ex aere delapsa.
12. *ASCARIDES*, quæ intestinum rectum aut vulvam inhabitant.

13. *Scolopendra forficulata*, quæ aures intrare amat.

14. *Hirudo*, qui cuti adhærere ſolet hominum, qui ſtagna intrant.

PHTHIRIASIS.

Eſt morbus, in quo cutis vel aliæ partes ingenti pediculorum copia obſidentur.

Hæc inſecta cutem puncturis, pruritu, ſordibus, ulcuſculisque valde diſcruciant.

Species ſunt:

1. *Phthiriasis capitis.* Eſt infantibus familiaris, cum ſcabie, & porrigine furfuracea capitis conjunctus morbus. Capilli utplurimum *lendibus* copioſiſſimis, quæ *ovula* pediculorum ſunt, obſidentur.

   Curatio exigit frequentem pectinationem & purificationem capitis, atque inſperſionem ſeminis petroſelini, ſabadillæ.

2. *Phthiriasis pubis.* In pilis pubis, ſcroti & inguinum pediculi lati, quos *platulas* ſeu *morpiones* appellant, obſervantur. Hi profunde cuti immerguntur, moleſtum pruritum excitant, at cutem non ut pediculi capitis exulcerant.

   Curantur unguento neapolitano, aut ſolutione ſaturata mercuriali, vel pulvere ſeminis ſtaphiſagriæ, vel infuſo nicotianæ.

3. *Phthiriasis superciliorum.* Pediculi, qui ſupercilia interdum inhabitant, ſunt platulis ſimiles.

Curantur aloe in aceto ſcillitico ſoluta, vel oleo ſpicæ vel unguento mercuriali.

4. *Phthiriasis totius corporis.* Tota corporis ſuperficies & omnia veſtimenta, præſertim ſi lanea ſunt, replentur pediculis & eorum lendibus.

Curatio exigit balnea ex nicotiana, inunctiones mercuriales cum oleo ſpicæ, & nova veſtimenta.

Interne cortex cum mercurio adhibeatur.

5. *Phthiriasis interna.* Eſt ea, in qua pediculi e diverſis corporis locis exeunt, ut ex oculis, naribus, auribus, ore, cum urina, ſputo, fecibus. Ægroti emaciantur & pereunt.

Curatio inſtituatur, ut in priori ſpecie dixi.

HELMINTIASIS.

Eſt morbus, in quo cutis, vel aliæ partes externæ ingenti vermium vel larvarum vermiformium copia obſidentur.

Species ſunt:

1. *Helmintiasis cutanea.* Hic morbus endemius eſt Martinicanis, Weſtphalis, Transſylvanis & Acridophagis. Miſeris hoc morbo affectis per magnam corporis partem

vermiculi ſub cute cuniculos agunt, & fere totius corporis pinguedinem conſumunt, atque carnes hinc inde ad oſſa usque devorant, adeo ut mors horrenda ſequatur.

Curatio exigit interne & externe anthelmintica cum mercurialibus.

2. *HELMINTIASIS INTESTINI RECTI, VULVÆ, URETHRÆ, NARIUM, AURIUM,* aut *GINGIVARUM.* * Frequenti injectione tabaci, vel ſolutionis ex ſale amaro & anthelminticis curatur.

3. *HELMINTIASIS ULCERUM.* Vermes, qui in ulceribus, aut vulneribus ſordidis, diu aeri expoſitis, negligenterque deligatis, potiſſimum æſtate, rariſſime autem hyeme reperiuntur, ovulis, a muſca vulgari vel carnaria in ulcera depoſitis, originem debent. Hi vermiculi etiam in ſcabie humida, variolis maturis, atque in lepra inveniuntur.

Curatio exigit, ut ulcera bene eluantur, & mundentur, dein oleum terebinthinæ, eſſentia aloes, vel elixirium vitrioli applicetur, vel mercurius dulcis inſpergatur.

MALIS.

Tubera, quæ inſecta, vel vermes intra ſe recondunt, *males* dicuntur.

* Vidi nuper infantem, cui gingivæ ingenti copia vermium repletæ erant, ſolutione ſalis amari hanc helminthiaſim intra paucos dies curavi.

Species malium ſunt:

1. *Malis pedicularis*, in capite & facie bulla viſa fuit, quæ inciſa magnam copiam pediculorum continuit.

Curatio facta inciſione exigit elutionem cum aqua vulneraria.

2. *Malis a pulice americano.* Hoc inſectum in America degens vix conſpicuum eſt, cutim peregrinantium maxime in cruribus ſubit, imo quandoque ſub unguibus in cutem penetrat. Intra aliquot dies ſub epidermide magnitudinem piſi acquirit & partem obſeſſam ſubinde ad oſſa usque erodit.

Curatio exigit, ut inſecta hæc quotidie ope cultri acuti ex cute evellantur, & locus cinere tabaci combuſti inſpergatur. Ubi vero totum crus his inſectis obſidetur, linteum oleo picis intinctum applicari debet, hoc remedio hæc inſecta cito ſeparantur.

3. *Malis ab acaro sylvestri americano* etiam ſic tractatur.

4. *Malis a gordio medinensi* ſeu *dracunculo persico.* Eſt vermis non ſolum circa Medinam & in Perſia, ſed in omnibus æſtuoſarum regionum lacubus obvius. In hominum cutem inter lavandum vel ambulandum in aqua lacuſtri ſe inſinuare ſolet. Frequentiſſime crura & ſcrotum occupat. Hic vermis ſæpe ad plurium pedum longitudinem in tela celluloſa hominis, quem afficit,

increſcit, muſculorum tractus ſequi amat, ſubinde, quod pejus eſt, oſſa ſerpentis adinſtar amplectitur. Modo unus modo plures adeſſe deprehenduntur.

Hic vermis per annum in corpore latitat, & præter dolorem loci affecti nullum incommodum facit.

Non raro autem tumorem rubentem cum febre plurium dierum, quæ nuncia eſt prodituri vermis, excitat. Exſurgit demum in tumore veſica pellucida, vel nigricans, ex qua rupta proſilit roſtellum vermis, qui ſenſim magis erumpit, & ita extrahi paullatim poteſt.

Curatio exigit, ut tumor cataplaſmate lacteo emolliatur, dein ut erumpentis vermis portio circa ligulam rotetur, ſic intra 10 circiter dies totus vermis, cavendo ne rumpatur, extrahi poteſt. Ulcus extracto verme ut aliud curatur.

Enormis vermis longitudo, tarda maturatio, implicatio vermis circa oſſa vel muſculos, vermis ruptura, curationem longiorem, & difficiliorem reddunt.

5. *MALIS A SIRONIBUS.* Hoc inſectum intra cutim ſe inſinuat & epidermidem in papulas attollit pruriginoſas, rubras vel luteas, quæ ſenſim exulcerantur. In planta pedis & vola manus ſirones frequenter nidulari ſolent.

Curatio exigit, ut ſironus acu effodiantur, & dein locus ſebo deligetur: alii ſolutionem ſalis amari, alii unguentum amarum cum mercurio dulci adhibent.

6. *MALIS A LUMBRICO EFFRACTORE.* Hic vermis ex inteſtinis in umbilico vel in inguinibus, præſertim in locis hernioſis excitato abſceſſu erumpere ſolet. Relinquit fiſtulam ſubinde difficulter, ſubinde facile aqua thediana curabilem.

CRINONES.

Sunt ſetæ lineam longæ, nigricantes & confertæ, quæ inſtar vermiculorum ex cute exprimi poſſunt.

SPECIES ſunt:

1. *CRINONES INFANTUM.* Cutis dorſi, brachiorum & crurum in infantibus athrophicis nigricantibus ſetis confertim obſidetur. Has ſetas aliqui pro vermiculis habent, & ideo *Comedones* vocant.

   Curatio exigit, ut partes obſeſſæ bile bubula vel manu ex calido oleo olivarum madida, vel aqua calida, cui parum farinæ, aut pulveris cyprei additum eſt, alternis diebus fricentur.

2. *CRINONES ADULTORUM.* Puncta nigra referunt in facie, circa naſum, & in antica thoracis parte, quæ puncta digitis ex cute preſſa ſimulacra vermiculorum cum capite nigro exhibent.

Sebum in foliculis cutaneis inſpiſſatum & in externo apice corruptum, atque per porum excretorium glandulæ expreſſum, hos vermiculos cum capite nigro repræſentat.

Curatur lotione ſaponacea ex ſapone, vel oleo tartari per deliquium & expreſſione ſebi, vel, quod optimum cenſetur, felle taurino.

CLASSIS XIII. MORBI UNGUIUM.



Morbi, qui ungues infeſtare ſolent, ſunt:

SELINE.

Eſt macula alba in vel ſub ungue.

Macula autem albicans in radice unguis conſpicua *lunula unguis* dicitur.

Species ſunt:

1. *Seline a carie sicca unguium*, quæ vitri acuti fragmento tam diu radi debet, donec macula diſpareat. Subinde ſpiritus vini camphoratus conducit.
2. *Seline a pustula sub ungue*, quæ raſuram unguis cum cultro exigit, ut pus exire poſſit.

ECCHYMOMA UNGUIS.

Eſt macula livida ſub ungue.

Species ſunt:

1. *Ecchymoma violentum*, quod a contuſione, preſſura, acupunctura unguis vel feſtuca ſub unguem intruſa oritur.

   Curatur fomento calido ex oxycrato vel vino.

2. *Ecchymoma a frigore aeris.* Evaneſcit in calore.

3. *Ecchymoma a frigore febrili.* Eſt livor unguium in ſtadio frigoris febrilis. Evaneſcit in ſtadio caloris.

4. *Ecchymoma trihomaticum.* Ante eruptionem trichomatis aliquando omnes ungues nigerrimi fiunt, & abſcedunt.

GRYPHOSIS.

Eſt unguium, poſtquam longe excreverunt, incurvatio.

Species ſunt:

1. *Gryphosis a neglecta abscissione.* * Curatio exigit abſciſſionem ope foricipis ſcindentis vel ſerrulæ, ſi unguis nimis durus.

---

* Hominibus, quoties ungues vel ex barbarie vel ex more aliquo antiquo omittunt reſecare, ad 3 & 4 pollices & ſpithamam longi fiunt. Haller *Phyſiol.* T. V. p. 30. *Cel.* Camper *Abh. von Schuh.* pag. 56. unguem pollicis majoris, qui ſuper omnes reliquos digitos pedis excreſcebat, adhucdum conſervat inter ſua præparata anatomico-pathologica.

2. *GRYPHOSIS A RESECTA PLICA POLONICA.* Inter alia ſymptomata potiſſimum unguium excreſcentia mirabilis, cum ſcabritie & nigredine, ut ungues cornua hircina referant, obſervatur.

Curatio exigit ablationem trichomatis.

3. *GRYPHOSIS ANONYMA* ſeu a morbo ignoto. *

FISSURA UNGUIUM.

Eſt unguis ſolutio lineam referens.

SPECIES ſunt:

1. *FISSURA CRUENTA*, quæ ab inſtrumento acuto infligitur, & unione ut vulnus curatur.

2. *FISSURA SICCA*, quæ ſua ſponte ſubinde obſervatur, aliquando autem luis venereæ vel lepræ effectus eſt.

Curatio inſtituatur juxta morbum, a quo fiſſura pendet.

TINEA UNGUIUM.

Eſt unguis unius, vel plurium eroſio ſeu corruptio ulceroſa.

---

* Ex morbo duos pollices longos ungues LINDENIUS *in ſua phyſiologia* refert. Duas uncias longos in *Phil. Trans.* n. 297. quatuor cum dimidio JACOBÆUS conf. BARTHOLINI *anat.* p. 57.

SPECIES ſunt:

1. *TINEA SICCA*, V. *ſcabrities unguium.*
2. *TINEA HUMIDA*, in qua unguis mollis, rugoſus, hinc inde corruptus & ſanioſus eſt.

CAUSA PROXIMA eſt depoſitio humoris acris, qui circa radicem unguis deponitur.

Id contingit in lue venerea, in impetigine, in plica polonica, in lepra & elephantiaſi.

Curatio exigit, ut acrimonia ſuo ſpecifico remedio auferatur.

Externe ſpiritus vini camphoratus cum maſtiche prodeſt.

MOLLITIES UNGUIUM.

Eſt unguium tanta flexilitas, ut ſine ruptura plicari, & corrugari poſſint. Hic morbus ſubinde a tinea unguium, ſubinde a chloroſi oritur.

Curatio. Mollities *tineoſa* ut tinea unguis, mollities *chlorotica* martialibus curatur. *

SCABRITIES UNGUIUM.

Eſt unguium ſicca, quaſi carioſa corruptio, qua unguis ſcaber, craſſus, friabilis & inæqualis evadit. Hic morbus etiam *tinea ſicca* unguium vocari poteſt; ſubinde ſolam radicem, vel ſolum marginem adhæſivum, ſubinde totum unguem occupat.

---

* NIEMAN *Diſſertatio epiſtolica de fœda unguium mollitie puellæ chloroticæ martialium uſu feliciter curata. Magdeburg.* 1774.

Oritur a valido labore, quo radix ungis vitiatur, aliquando etiam a causa interna nascitur.

Curatio exigit, ut frustum lardi corrupto ungui per aliquot septimanas firmiter applicetur.

PTERIGIUM UNGUIS.

Est epidermidis magna prolongatio & incrementum supra radices unguium.

Curatio exigit, ut epidermis obtuso cultro ab ungue separetur & reprimatur.

Ulcera circa marginem unguis frequenter *carnem fungosam*, quæ supra unguem proserpere videtur, formare solent. Hæc lapide infernali auferatur, & dein aqua cum aqua vulneraria ex cortice peruviano, aqua Thediana & extracto saturni parata exsiccetur.

ARCTURA UNGUIS.

Est unguis curvatura lateralis, cutem secans & exulcerans.

Noscitur inflammatione, dolore intenso & exulceratione laterali digiti, præsertim pollicis majoris in pede.

Oritur ab excisione nimis acuta marginis lateralis in ungue aut a calceis nimium angustis.

Curatio exigit, ut unguis medietas fragmento acuto vitri tamdiu fricetur, donec margo lateralis sursum pergat; sub unguem ponitur linteum carptum, & ad ulcus applicetur extractum saturni,

aqua diſutum, vel aqua vulneraria viridis * vel aqua vulneraria chinata. **

Si hæc medicatio non juvat, diſcindatur forfice acutiſſima unguis a margine usque ad radicem, dein portio unguis carni increta, forcipe evellatur.

DEFORMITAS UNGUIS.

Eſt unguium monſtroſum incrementum in formam unguiculæ avicularis vel cornu. ***

Curatio exigit abſciſſionem.

LAPSUS UNGUIUM.

Eſt unguis unius vel plurium ſpontaneus ſeceſſus a digito.

---

* *Ill.* BALDINGER *neues Magazin für Aerzte.* 3. *B.* 1. p. 26. *vom Nagelgeſchwür.* ℞. vini albi ℔ij. viridis æris, aluminis aa ℥ß, mellis ℥ß. m. coquantur leniter.

** Ego ſequantem aquam centies egregiam ſum expertus. ℞. Aquæ fontanæ ℥viij. Aquæ Thedianæ ℥iij. Extract ſaturni. Salis ammoniaci aa ʒß. Cort. peruviani ℥j. m. f. aqua.

*** Hiſtoriam unguium, qui in vera cornua laminata abierunt, V. in *Hiſtoir. de l' Academ.* 1719. hiſt. 1. Hominem quotidie coram me video, qui ſibi digitum auricularem manus ſiniſtræ in ſua juventute intra portam adeo compreſſerat, ut totus unguis ablatus fuerit, renaſcebatur loco unguis cornu acutum, quod unguis ſubſtantiam habet, admodum craſſum & longum fit, ſi non omni menſe reſecetur.

Causæ, quæ hunc lapſum efficiunt, ſunt ſuppuratio ſub vel circa radicem unguis, longa manuum maceratio in aqua calida, virus plicoſum, vel aliud, & datum venenum.

A lapſu unguis ad minimum loci denudati attactum fiunt horrendi dolores.

Curatio requirit, ut inſpergatur ad locum ab ungue nudum pulvis olibani vel maſtichis, & molli cera, quæ unguis figuram referat, tegatur.

Sic unguis a ſua radice incipit iterum creſcere, & reſtitui.

CLASSIS XIV. MORBI PILORUM.

Morbos, qui pilos afficiunt, ut morbos unguium ad cutaneos refero, cum ungues & pili partes cutis eſſe cenſeantur.

Sunt autem *morbi pilorum* ſequentes.

CALVITIES.

Eſt pilorum in capite vel alia parte crinita defectus.*

Causa proxima eſt oſculorum in bulbis, quæ pilos emittunt, nimia amplitudo, vel nimia arctitudo ſeu concretio vel bulbuli ipſius morboſitas.

Dividitur generatim calvities

In *univerſalem*, ſi totum caput calvum glabrumque ſit.

* D. Pfeiffer *diſſ. de calvitie. Budæ* 1783. Calvities Græcis φαλάκρωσις, vel *Maderoſis* dicitur.

In *partialem*: si quidam tantum capillatæ partis locus capillis careat. Hæc species dicitur *Area* seu *Alopectia*, si locus depilis plagam: *Ophiasis* si locus calvus serpentem ab occipitio, ad frontem vel utrinque ad tempora pergentem referat. Datur demum calvities barbæ, axillarum, pubis, oculorum.

Species sunt:

1. *Calvities febrisequa*, quæ febres acutas sequitur.

2. *Calvities puerperarum.* Quibusdam mulieribus in omni puerperio plus minus defluunt capilli.

3. *Calvities morborum exanthematicorum.* Variolas aut erysipelas sæpe calvities sequitur.

4. *Calvities acrimoniosa.* Huc pertinet calvities a prægressa tinea, achoribus, trichomate, lepra, lue venerea, scorbuto &c.

5. *Calvities phthisicorum.* Est capillorum defluvium, quod in consumata phthisi vel hectica observatur.

6. *Calvities a debilitate nervosa*: terror, veneris abusus, magna animi per curas agitatio, cephalæa induxere calvitiem. *

* Exempla de his omnibus collegit D. Pfeiffer. *l. c.* p. 14.

7. *Cal-*

7. *CALVITIES SENUM* eſt naturalis capillorum defectus in ſyncipite & vertice ſenum.

8. *CALVITIES HÆREDITARIA.* Quæ multis familiis jam in ætate juvenili vel virili conſueta eſt. In Inſula Mycono infantes calvi dicuntur naſci vel 20 anno jam calveſcunt. *

9. *CALVITIES A VAPORE MERCURII*, quæ in aurifabris quandoque obſervatur, & diæta lactea curata fuit. **

10. *CALVITIES* a cauſa externa: ut a dropace, a mitra aſpera &c.

Prognoſis. Si locus calvus frictione non rubeat, tunc calvities incurabilis cenſetur. *** Senilis nunquam, hereditaria & inveterata, ut & univerſalis raro curatur. Palingeneſia crinium quandoque diverſi a prioribus coloris & figuræ eſt.

Curatio exigit, ut cauſa materialis calvitiei tollatur, dein ut oſcula pilos emittentia nimis laxa roborantibus arctentur, nimis arcta relaxentur; impervia autem ope raſuræ reſerantur. Hinc præmiſſis catharticis antacrimonioſa, vel roborantia vel in ſiccitate humectantia interne dentur.

Externe ſpecifice laudantur: raſura capitis, aqua ſtillatitia e favis apum, axungia urſi, lixivium cinerum, in quo hedera arborea vel malvæ radix

* TOURNEFORT *vog. en lev.* T. I. p. 333.
** FORESTI *obſerv. & curat.* L. 8. *obſ.* 5.
*** ZACUTI *Prax. hiſtor.* L. 7. C. I. p. 5.

vel buxus * infusus aut coctus, succus cæparum affrictus, ladanum oleo solutum, succus tabaci, thapsiæ ℨj cum axungiæ ursi ℥j in unquentum redacta.

HIRSUTIES.

Est pilorum exortus nimius, vel in toto corpore vel in loco non consueto.

Causa proxima est bulborum progenies in loco non consueto vel affluxus nimius nutrimenti ad bulbos pilorum.

Nascuntur subinde fœtus adeo hirsuti, ut pro simiis habiti fuerint. Huc etiam refero feminas barbatas & duplicia supercilia super uno oculo.

Hirsuties ergo vel *universalis* in tota corporis superficie est, vel *partialis* in uno tantum vel consueto vel inconsueto loco. **

---

* *Misc. N. C.* dec. 2. ann. 2. obs. 155. lixivio buxi incautius faciem & collum lotum non tantum in capite loto sed etiam in facie & collo copiose progerminasse fertur.

** Homo ex sua natura hirsutum est animal, totum pilis adspersum, si volam manus, plantam pedis, & penis glandem excipias, nam etiam in facie & mammis formosissimæ feminæ pili deprehenduntur. Quoties jam hi pili, qui vulgo breves manent in homine, in aliqualem longitudinem excrescunt, tunc homines *hirsuti* seu *pilosi* vocantur. Fœtus aliquando toti pilosi nascuntur, feminæ barbatæ & homines in tota facie pilosi fuere visi. In ovarii, aliarumque partium athe-

Curatio. Applicetur ſpiritus ſalis dulcis, qui mediante charta bibula apponitur, vel unguentum depilatorium ex auripigmento, calce viva & melle.

XERASIA.

Eſt capillorum nimia tenuitas, lanugini ſimilis.

Curatio exigit, ut caput novacula abradatur, & ſæpius unguento pomato inungatur, atque pulvere cyprio inſpergatur. Decoctum buxi denique tentandum.

TRICHOMA ſeu PLICA POLONICA.

Eſt præternaturalis pilorum in quacunque piloſa corporis parte in funiculos vel pannos intricatio,* nulla arte humana extricabilis.

Dividitur plica.

In *cirroſam*, quæ plica *mas* vocatur, dum unus vel plures cirri contorti e parte crinita inſtar caudarum glirium pendent.

---

romatibus frequenter pili criſpi & alii inveniuntur. Sic etiam in omento, in ventriculo pili effloruerunt, lingua non raro piloſa evadit. Pilam capillorum ſuper muſculum rectum abdominis, & in carne bubula folliculum, in quo intricati pili erant, deſcripſerunt Authores. V. *Ill.* HALLERI *elementa Phyſiologiæ* T. V. p. 32. & 33.

* Vide egregiam *diſſ.* D. GABRIEL de *Plica polonica. Budæ.* 1780. & *Cel.* VICAT *Mémoires ſur la plique polonoiſe.*

In *villoſam*, quæ plica *femina* dicitur, dum omnes fere crines in ſe mutuo intertexti ſpeciem pilei villoſi ſeu mitræ vel panni cujusdam rigidi efformant.

Sedes. Caput capillatum plerumque huic malo obnoxium eſt, tamen etiam in barba, & in pube viſa eſt plica. Brutis e juba aut cauda erumpit. Longitudo ejusdem quandoque enormis eſt.

Causa proxima eſt peculiare miaſma, quod uberiorem & criticum ſeceſſum ſucci crines nutrientis cauſat. Indoles atque origo hujus miaſmatis adhuc ignoratur. Hoc miaſma ex India orientali circa annum 1687 per Tartaros in Poloniam, Sileſiam, Hungariam, Sarmatiam, Ruſſiam, & loca vicina invectum fuiſſe creditur. In aliis regionibus vix conſpicuus eſt morbus.

Morbi contagium *nativitate* a parentibus trichomatoſis, vel concubitu cum homine infecto vel uſu lecti, veſtimentive miaſmate infecti, communicatur.

Species ſunt:

1. *Trichoma latens* ſeu *occultum*. Ante plicæ eruptionem per plures menſes atrociſſimus capitis dolor adeſt cum ſudore viſcido crinium, noctu moleſto, copioſisque furfuribus locum plicæ, ubi erumpit, conſpurcantibus. Arthritis vaga & fixa, pleuritis, cardialgia, colica, œdema crurum, glandularum infarctus, tubercula cutanea, tophi arthritici, ulcera oris, narium, viſcerum febres variæ auctæ &

intermittentes, deliria acuta & chronica, convulſiones, ſpaſmi, paralyſes, paretes, alvi fluxus, hæmorrhagiæ, oculorum varii morbi, ophthalmia, amauroſis, dolor, pica, ungues ſcabri, lividi, recurvi, corrupti, quandoque humores piloſi ſub cute cranii latentes. *

2. *TRICHOMA EVOLUTUM.* Critica plicæ excretio per longum tempus durat, perfecta cognoſcitur fuga omnium ſymptomatum, capillorum defluvio, qui dein reſarciuntur.

3. *TRICHOMA SUPPRESSUM* a reſecta ante perfectam criſim plica, iidem oriuntur morbi, quos in latente trichomate adnotavimus, qui redeunte plica iterum evaneſcunt. Tolluntur hi morbi

1. Plicæ ſpontanea *eruptione.*
2. *Phthiriaſi* cum porrigine, & *ſudore* fœtido capitis.
3. *Alopecia* ſpontanea.
4. Datis medicamentis ſpecificis contra plicam.

4. *TRICHOMA SPURIUM.* Eſt capillorum intricatio, quæ a neglecta pectinatione & ſordida porrigine capitis naſcitur. ** Abſentia ſym-

---

* GABRIEL *l. c.* p. 21.
** *Cel.* VICAT *l. c.* p. 46.

ptomatum in trichomate vero consuetorum cognoscitur.

Curatur resectione capillorum & purificatione capitis. V. *Achores.*

Curatio. Cum antidotum hujus miasmatis adhuc desideretur, necesse est

1. Ut *latens* miasma excernatur:
2. — *excretum* non repellatur, aut
3. — *retropulsum* iterum in capillitium revocetur.

LATENS miasma ad excretionem invitatur 1. ope fomentorum calidorum, capillitio capitis diu applicatorum. Optimum est caput decocto lycopodii bis de die lavare, vel unguento lycopodii, bis de die illinere. * Arnicæ aut roris marini flores in aqua vel cerevisia cocti, specifice ad hunc scopum laudantur. 2. *Interne* idem decoctum lycopodii vel infusum arnicæ, aut rorismarini ** cum sale succini, aut viperarum tamdiu exhibetur, donec symptomata remittant & plica prodeat.

In casu graviori adhibentur vesicatoria ad nucham, theriaca, tinctura metallorum, pulvis ex sulphure aurato antimonii, & camphora. Decoctum sarsaparillæ & radicis serpentariæ virginianæ.

---

* GABRIEL *l. c.* p. 78.

** Hebræo plica polonica laboranti infuso rorismarini arthritidem & cephalæam nuper curavi, plica etiam emendabatur, at ægrotus paullo post aufugiebat.

Unguibus apponatur cera rubra mollis ad ſigillandum uſualis.

Purgantia valentiora, emetica, mercurialia, nitroſa copioſe data, atque venæſectio morbum valde exaſperant. Reſciſſio plicæ & capillorum eſt ſumme exitialis, cum peſſimi exinde morbi ſubſequantur. Sed ſpontaneus plicæ delapſus, qui vero admodum raro contingit, ſubinde ſalutaris fuit. *

FISSURA CAPILLORUM.

Eſt ſpontanea dehiſcentia capillorum in duo vel plura filamenta. **

Rariſſime vel nunquam ad cutem usque capilli finduntur, ſed tantummodo in fine extremo.

Causa proxima eſt capillorum aridura, vel vitioſus ſuccus, vel abundantia ſucci capillaris. Hinc capilli fiſſi ſæpe defluunt.

---

* Interim tamen tonſio capitis aliquando utilis fuit. De plica valde immunda tonſione capitis ſanata obſervationem habet Trioen v. ejus *obſervationes. Cl. Prof. Pragenſis* Mikan curavit feminæ, jam a multis annis plicoſæ, capillos abſcindi; altero die enormis capitis dolor, vertigo & debilitas ſequuntur, multa remedia gratis tentantur, omnia in pejus ruunt, demum capilli penitus abraduntur, & ſic hæc fæmina integre convaluit.

** Græcis hic morbus dicitur *Dichophyia.*

Curatio exigit, ut capitiluvia ex herbis aromaticis & recens unguentum pomatum adhibeatur. *Interne* dentur, quæ ſanguinem purificant.

CANITIES.

Eſt coloris capillorum mutatio in album vel gryſeum colorem.

Causa proxima eſſe videtur exſiccatio ſeu aridura bulborum capillarium. *

Species ſunt:

1. *Canities senilis*, quæ ſenectutis eſt naturalis effectus. Quibus venerabile hoc ſenectutis ornamentum diſplicet, hi caput ſuum cæſarie adſcititia tegere, aut frequenti pectinatione cum pectine plumbeo colorem nigrum inducere tenentur. Sunt demum, qui cum ſolutione lapidis infernalis capillos nigricant.
2. *Canities præmatura*, quæ in ætate juvenili vel virili jam contingit. Hæc canities ſæpe hereditaria eſt, ſæpe magnum terrorem, aut morbum ſequitur. * *Tractatur* ut canities ſenilis.

---

* In ſenibus, omnibus in regionibus capilli caneſcunt, cum ſolus nunc epidermidis color ſuperſit exhauſta medulla, a quo color erat, & pellucidi ſunt ut vitrum album, dicit *Ill.* Hallerus, bulbos etiam minores eſſe ajunt.

** Subito aliquos a terrore canuiſſe multi auctores ſunt V. *Ill.* Halleri *elementa Phyſiol.* T. V. p. 37.

INDEX GENERUM.

